This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NEDL TRANSFER
HN 5XNB Q

Digitized by Google

L 137
KC 16022

Bd. Aug., 1892.

Harvard College Library.

FROM

JAMES RUSSELL LOWELL,

Class of 1838.

Received Nov. 14, 1891.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM, ET ILLUSTRIORUM

SAECULI XVI. POETARUM

EPIGRAMMATA

IN USUM

SCHOLARUM PIARUM

AB ADMOD. REV. PATR.

CAMILLO NICOLIO

ORD. EJUSD. CLER. REGUL.

SELECTA, ET ANNOTATIONIBUS

ILLUSTRATA.

FLORENTIAE MDCCXXXVIII.

TYPIS PETRI CAJETANI VIVIANI

Sub Signo Divi Thomae Aquinatis.)(*Super. permissu.*

Digitized by Google

KC 16022
8137
Harvard College Library,
Nov. 14, 1891.
LOWELL BEQUEST.

Faceret e re litteraria, si quis more veterum Criticorum ejus [Martialis, facile & ceterorum] delectum Epigrammatum haberet, & bonis affigeret laudis notam, malis culpae.

Lipſ. Epiſt. Quaeſt. lib. 1. cap. 5.

Digitized by Google

NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO

FRANCISCO FERONIO

BELLAVISTAE MARCHIONI

SACR. FLORENT. ACADEMIAE

CONSULI MERITISSIMO.

PETRUS VIVIANUS TYPOGRAPHUS S. P. D.

UM primum mihi feliciter contigit Volumen hoc mei juris fieri, quo principum Poëtarum Epigrammata a

Digitized by Google

probatissimae eruditionis Viro Camillo Nicolio Scholarum Piarum Clerico Regul. selecta, & accuratissimis annotationibus illustrata continebitur, diu mihi deliberandum non fuit, VIR AMPLISSIME, cujus potissimum nomine, ac patrocinio illud inscriberem. Sive enim singularem amorem tuum erga praeclarissimum Scholarum Piarum Ordinem, cui TE olim totum, quo celerius, ac tutius ad optimarum artium gloriam assurgeres erudiendum tradidisti, humanitatemque spectemus, qua Patrum eruditissimorum operam, & labores in erudiendis Juvenibus complecteris; sive Officiorum erga TE meorum vim, & naturam animadvertamus, nemo est qui non videat, non alio quam celeberrimo Nomine Tuo consecratum hoc Opus prodire e Typis meis debuisse. Praetereo nobilissimas animi Tui dotes, candidosque mores, & perpolitam,

pe-

Digitized by Google

peculiaremque non in Philoſophicis modo, verum etiam in Theologicis diſputationibus, ceteriſque quae ad humana, & divina pertinent ſcientiis eruditionem, quae TE omni potiſſimum jure Sacrae Florentinae Academiae Conſulem omnium votis renunciatum abunde oſtendunt, ne a rationibus iis, modeſtia Tua inoffenſa, deflectam, quae ſatis ſuperque ſignificant TE ſponte ſua Opus hoc uti Patronum aequiſſimum, ac amantiſſimum expetere. Etſi igitur beneficiorum non ſim immemor Tuorum, quae multa, & maxima in me contuliſti, nolim tamen niſi grati animi recordationem in hoc munere deprehendas, qualecumque ſit, illudque ea qua ſoles mirifica ſuavitate excipias, foveas, tuearis. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAMILLUS NICOLIUS

LECTORI SUO.

Iuventutis ad omnes humaniores litteras in Scholis informandae ut multo pulcherrimum est ministerium ac Civitatibus saluberrimum, ita non levibus difficultatibus implicatum. Primum enim omnium multo sane pulcherrimum est; quod *enim* munus Reipublicae afferre majus, meliusve possumus, quam si docemus, aut erudimus Juventutem: his praesertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refeaenanda, atque coercenda sit (a)? *Ita enim fit ut scientiam litterarum vitaeque sanctimoniam simul admirentur, diligant, complectantur. Ut autem Civitatum Praeceptores ad tan-*

(a) Cic. de Divin. II. cap. 2.

Digitized by Google

tam felicitatem credita ſibi ingenia perducant, non mediocriter nec in paucis iis elaborandum eſt. Etenim in primis ab iis Scriptoribus, quos interpretantur, omnis dicendi laſcivia, omnis improbitas, omnis mollities abſit neceſſe eſt. Nam tenerae Adoleſcentium mentes non modo quae diſerta, ſed vel magis quae honeſta ſunt, diſcant (a). *Quapropter non modo* praecipienda ſunt optima (b), *ſed optima etiam in eorum exemplum adducenda ſunt: alioquin natura ipſa ſe duce, immo ſaepenumero etiam in tempore caſtigata improbitatem imbibet & conſectabitur. Praeterea opus eſſet ut perfecta, ut limata, ut elaborata omnia Adoleſcentes audirent: alioquin enim* pro virtutibus vitia ſuſpiciunt atque amant; & quod longe deterius eſt in ſcribendo plerumque declinant in pejus, & proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, preſſis exiles, fortibus temerarii, compoſitis exultantes, ſimplicibus negligentes (c). *Tot vero tantaſque virtutes in Ethnicis Scriptoribus, quos jure ſuo ſibi Scholae vindicarunt, exſtare atque eminere ſperandum non fuit. Cum enim in eo Religionis genere viverent, quod multa foeda, multa impia, multa ſacrilega non vetaret (ut omittam*

(a) Quinctil. Inſt. Orat. lib. 1. cap. 14.
(b) Idem ibi cap. 2.
(c) Idem lib. 10. cap. 2.

Digitized by Google

tam morem illum Poetis prope omnibus quasi insitum, ut Poetae esse non possint, nisi liberiores, molliores atque etiam sint flagitiosi) ea ferme omnes scripserunt, ac saltem taciti persuaserunt. Nec mirum plane debet videri, praeclaris istis ingeniis ut plura numeris omnibus absoluta ita quaedam mediocria, immo rudia & imperfecta excidisse; homines enim erant, fragilisque naturae imbecillitatem sentientes. Nullum igitur remedium erat huic malo? Erat profecto, at illud ipsum est, quod mihi institui, delectum scilicet quemdam ex omni optima aetate Poetarum habere. Idque eo libentius ingressus sum, ut Adolescentes nobis commissi eruditiores fiant non unum aliquem Poetam in epigrammatum genere audientes, sed multos. Si enim aut unum Martialem, aut unum Catullum in Scholis audierint, & in affluenti doctissimorum hominum corona aut deprehensi, aut sponte oblati, interrogentur de Scriptorum lucubrationibus, quos in Scholis sibi interpretari audiunt, quoties continget ut Catulli quidem aut Martialis dicendi genus exponant, non autem aeque Ausonii, Pontani, Sannazzarii, Naugerii, ceterorumque, qui litteris faustissimo XVI. Saeculo floruerunt. Eorum igitur cognitione quare Adolescentes fraudentur? Ego autem hos Adolescentibus proponendos eo magis existimavi, quod in iis eximiam verae latinitatis effigiem li-

Digitized by Google

liberali industria partam, quod saepenumero majorem quandam alacritatem, majorem imaginum copiam, majorem etiam varietatem videre videor. Idem de Graecis sentias: non modo quod primi fuerunt, sed quod copiosissimi & lepidissimi. In iis cunctis ergo Adolescentes inspiciant & versentur utile erit & fructuosum. At enim, ut ingenue fatear, nec mihi arrogem quod non est meum, quamquam alioquin meum. Cum rem hanc animo & cogitatione comprehendissem atque explere constituissem, varios Auctores huc illuc, ut necesse fuit evolvens aliquos etiam reperi, qui delectum hunc epigrammatum susceperant. Nihilominus ab incepto non sum deterritus, quod non eadem omnino via incederemus. Alii enim paucis admodum ex Catullo & Martiale collectis ad sua, vel collegarum suorum epigrammata diverterunt. Alii veterum plurimorum fere cum omni varia lectione, multorumque interpretatione, si graeca erant, & quod incommodius ad usum Scholarum una cum aliis Scriptorum operibus non sola epigrammata collegerunt. Nemo autem unus satis multa ex Saeculo XVI.: quod ego maximum Juventuti detrimentum existimo tantos Patres (quamquam enim in latinitatis germanitate locupletissimi testes esse non possint, cum intermortua lingua scripserint; tamen tot tantisque virtutibus, quas ante commemoravi, eum defectum compen-

sant)

Digitized by Google

sant) non mature suspicere, gustare, imitari. Quare inter eos delectus & meo locum esse iure existimavi. Utcumque id sit haec epigrammata studiosae Juventuti collegi, ut maximo sint ei incremento, quod & spero certe futurum.

IN-

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM

E QUIBUS EXCERPTA SUNT EPIGRAMMATA.

C. Valerius Catullus Veronae natus est anno V. C. 661. vixit annos fere 30. Ciceroni Planco, Cinnae, ac Caesari apprime carus ejus Epig. habes pag. 1.

Virgilius Maro natus est in pago Andes agri Mantuani anno V. C. 684. Augusti, Moecenatis, & Pollionis amorem consecutus ob morum suavitatem, & ingenii praestantiam: devixit an. aetat. suae 52. ejus Epigr. habes pag. 29.

Petronii Arbitri patria non satis constat: floruit saeculo primo, Neroni ita acceptus ut nullum voluptatis genus nequissimo Imperatori jucundius esset eo, quod vel invenisset, vel probasset Petronius: ejus Epig. habes pag. 41.

Marcus Valerius Martialis Bilbili natus, Romam venit an. aet. suae 21. floruitque saeculo primo fere exeunte: ejus Epig. habes pag. 47.

Decius Ausonius Gallus Burdigalensis quarto saeculo vixit, Gratianum Imperatorem litteris

Digitized by Google

ris erudivit, a quo ad Consulatum evectus est: ejus Epig. habes pag. 140.

C. Claudiano patria fuit Alexandria in AEgypto, ut est auctor Suidas, initio quinti saeculi floruit sub Arcadio, & Honorio Imperatoribus, quibus maxime acceptus erat: ejus Epig. habes pag. 148.

L. Annaeus Seneca Cordubensis Philosophus Stoicus Neronem litteris erudivit, a quo ad mortem damnatus fuit: ejus Epig. habes pag. 152.

Albius Tibullus Eques Romanus vixit sub Augusto aequalis Horatio, Ovidio, Macro, & Messallae Corvino: ejus Epig. habes pag. 154.

Domitius Afer Nemausiensis Orator, & Poeta floruit saec. primo vita functus circa an. 65. ejus Epig. pag. 155.

Palladius Rutilius Taurus vixit initio saeculi secundi Medicus, & Poeta: ejus Epig. habes pag. 155.

Jacobus Pontanus Neapolitanus saeculo decimoquinto floruit magnus Philosophus, Poeta, Orator, & Historicus, Alphonso juniori Neapolitanorum Regi, a secretis, & a consiliis, & Sannazarii praeceptor: ejus Epig. habes pag. 157.

Jacobus Sannazarius Neapolitanus natus est anno a Christi adventu 1458. ejus Epig. habes pag. 166.

Andreas Naugerius Venetus ortum habuit anno Christi 1483. ejus Epig. habes pag. 171.

Joannes Cotta Veronensis item floruit initio ejusdem saeculi: ejus Epig. habes pag. 175.

M. An-

Digitized by Google

M. Antonius Flaminius Foro-Cornelienſis floruit initio ſaeculi decimi ſexti: ejus Epig. habes pag. 177.

Petrus Bembus Venetus Leonis X. P. M. a ſecretis, ejusdem quoque ſaeculi initio vixit: ejus Epig. habes pag. 218.

Anacreon Tejus vivebat ann. ante Chriſtum 532. ejus Epig. habes pag. 219.

Philemon poeta Comicus, floruit ante Chriſtum an. 300. ejus Epig. habes pag. 220.

Anthologiam, ex qua deſumpta ſunt cetera Epigrammata, quaſi *florilegium* collegit Maximus Planudes Monachus Conſtantinop. qui vixit ſaec. XIV.

Digitized by Google

IMprimatur

Dominicus de Bardis Vic. Gen.

Imprimatur

Fr. Franciſcus Antonius Benoffi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Carolus Ginori pro Reg. Celſ. vidit.

Digitized by Google

E R R A T A.

Pag. 47. ver. 3. C. VALERII leg. M. VALERII : pag. 91. v. 10. MVNEXA l. MUNERA : pag. 97. v. 14. o moret l. o mores; pag. ead. v. 15. Ceciliane l. Caeciliane : pag. 111. v. 13. Fidentina l. Fidentinae: pag. 112. v. 16. nemo fibi l. nemo tibi p. 120. v. 23. ab oculos l. ob oculos : pag. ead. v. 24. Gynaedo l. cinaedo : pag. 130. v. 28. deinces l. deinceps : pag. 136. v. 8. matures l. maturus : pag. 154. v. 6. ſubſiduut l. ſubſidunt. pag. 173. v. ultimo metempſicoſim l. metempſycoſim : pag. 174. v. 19. foto l. foco : pag. 175. v. 3. LYROIDE l. LYCORIDE : pag. ead. v. 22. lacrimanti l. lacrimant. pag. 176. v. 17. furi l. frui pag. 180. v. 16. a poeta l. Poeta: pag. 184. vv. 3. & 4. jocis laudantem l. jocoſis ludentem : pag. 193. v. 10. Propo Comi l. propeeum : pag. 196. v. 13. advocá l. voca. pag. 197. v. 4. ſubrubente l. cum rubente pag. 202. v. 6. Favono l. Favoni : pag. 205. v. 14. fiticuloſa l. ſiticuloſa : pag. 211. v. 15. ferae. l. fera : pag. 222. v. 15. ANTACI l. ANTAEI : pag. 231. v. 5. Lacedæmon l. Lacedaemon.

Digitized by Google

SELECTA VETERUM POETARUM EPIGRAMMATA.

C. VAL. CATULLI.

EPIGRAMMA I.

CORNELIO NEPOTI LIBRUM SUUM DEDICAT.

Cui dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! & laboriosis.
Quare habe tibi quicquid hoc est libelli.
Qualecumque quidem, ora per virorum
Plus uno maneat perenne saeclo.

Pumice. Pumice poliri libri tecti jam pellibus, ut nunc fit, apud veteres solebant. *Tribus chartis*. Brevi librorum mole. *Jupiter*. Admirantium & faventium formula. *Laboriosis*. Ingeniose elaboratis. *Qualecumque quidem*. Altera pars hujus versus desiderabatur, Pontanus eam ita explevit.

Digitized by Google

EPIGRAMMA II.

PHASELI, QUO IN PATRIAM REVECTUS EST, LAUS ET DEDICATIO.

Phaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare littus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemque Ponticum sinum,
Ubi iste, post Phaselus, antea fuit
Comata silva: nam Cytorio in jugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cytore buxifer
Tibi haec fuisse, & esse cognitissima,
Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et deinde tot per impotentia freta
Herum tulisse, laeva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Jupiter
Simul secundus incidisset in pedem:
Neque ulla vota littoralibus Diis
Sibi esse facta cum veniret a mare
Novissime hunc ad usque limpidum lacum.

Sed

Digitized by Google

Sed haec prius fuere; nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

Celerrimus. Graeca locutio pro celerrimum. *Horridam*. Non modo a regionis frigore, sed & ab incolarum immanitate. *Propontida*. Ultima hujus vocis producta est, ideo alii legunt *propontidem*. *Loquente comu*. Pulchre frondium murmur expressit. *Amastri*. Urbs est Paphlagoniae in ora maris Euxini Ital. *Famastro*. *Imbuisse*. Tinxisse, adspertisse. *Jupiter in pedem*. Ventus in vela, nam facere pedem est vela facere. *Vota*. Quod nullum in periculum inciderit. *Limpidum lacum*. Benacum inter Brixiam, & Veronam, Ital. *Lago di Garda*. *Senet*. Quiescit.

EPIGRAMMA III.

VERANNIO AMICO EX HISPANIA REDEUNTI GRATULATUR.

VEranni omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti? O mihi nuncii beati!
Visam te incolumem, audiamque Iberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus, applicansque collum
Jucundum os, oculosque suaviator.

Digitized by Google

O quantum est hominum beatiorum
Quid me lactius est, beatiusve?

Verannius. Quum Poëta audivisset Verannium, qui cum Pisone Quaestore in Hispaniam profectus fuerat, Romam salvum, ac incolumem rediturum esse, omnia bona illi ominatur; ac amicissime percontatur de illius ex Hispania reditu in Patriam. *Antistes*. Amicorum mihi primus. *Millibus*. Mille, sexcenta, trecenta pro multis usurpantur. *Applicans*. Admovens, & quasi ad collum plicans.

EPIGRAMMA IV.

ASINIO AMICIS QUOQUE IMPONENTI COMMINATUR.

Marrucine Asini manu sinistra
Non belle uteris in joco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum,
Hoc falsum esse putas? fugit te inepte
Quamvis sordida res, & invenusta est.
Non credis mihi? Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte.
Quod me non movet aestimatione,
Verum est Mnemosynon mei sodalis.
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,

Et

Digitized by Google

Et Verannius. Haec amem necesse est,
Ut Veranniolum meum, & Fabullum.

Manu sinistra. Subripis furto. *In vino*. Inter coenam large bibens. *Linteo*. Mappulas. *Quamvis*. Quantum potes, & velis cogitare est sordida. *Mutari*. Redimi, & deleri. *Disertus leporum*. Facete acuteque dictis abundans. *Mnemosynon*. Donum, pignus, monumentum. *Setabo*. Sudaria ex Setabe, Ital. *Xativa*, urbe Hispaniae Tarraconensis.

EPIGRAMMA V.

AD CALVUM LICINIUM ORATOREM.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve; munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes Poetis?
Isti Dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sylla litterator;
Non est mi male, sed bene, ac beate:
Quod non dispereunt tui labores,
Di magni horribilem, & sacrum libellum!
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret
Saturnalibus optimo dierum.
Non, non hoc tibi salse sic abibit.
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Caesios, Aquinos,

Digitized by Google

Suffenum omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem attuliſtis
Saecli incommoda, peſſimi Poetae.

Calve. C. Licinius Calvus Orator, & Poeta clarus. *Vatiniano.* Vatinius in tantum odium & multitudinis, & Principum pervenit, ut lapidibus obrutus ſit. *Munere.* Tuis Carminibus. *Perderes.* Cum malis Poetis me conjungens, cum eorum carmina ad me mittis. *Impiorum.* Adde carminum. *Sacrum libellum.* Ineptiſſimorum contumelioſorumque carminum. *Miſti.* Miſiſti. *Si lux.* Ubi primum illuxerit. *Ad ſcrinia.* Par pari reddam: emam peſſimos Poetas, & ad te mittam. *Caeſios.* Bibliopolas exigui nominis; ita Aquinos, & Suffenum. *Venena.* Carmina malorum Poetarum.

EPIGRAMMA VI.

VARUM ALLOQUENS VANAM ET FALSAM SUFFENI POETAE INSULSI AUCTORITATEM DEMONSTRAT.

Suffenus iſte, Vare, quem probe noſti,
Homo eſt venuſtus, & dicax, & urbanus,
Idemque longe plurimos facit verſus.
Puto eſſe ego illi millia, aut decem, aut plura
Perſcripta; nec, ſicut ſit, in palimpſeſto
Relata: chartae regiae, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Deſecta plumbo, & pumice omnia aequata.
Haec cum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus unus, caprimulgus, aut foſſor
Rurſus videtur: tantum abhorret, ac nutat.

Hoc

Digitized by Google

Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure,
Simul poemata attigit: neque idem umquam
Aeque est beatus ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum omnes fallimur; neque est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error.
Sed non videmus, manticae quod in tergo est.

Suffenus. Poëta insulsus, & verborum ostentatione dicax & urbanus, atque doctissimus videbatur: praesertim cum insulsorum versuum suorum libros magnifica impensa ornatos ostentaret. *Palimpsestus.* Membrana iterum abrasa spongia, ut in ea scribi pluries possit. *Chartae regiae.* Sumtu regali comparatae. *Umbilici.* Signa sunt quaedam, quibus librorum fines concludebant Antiqui. *Caprimulgus.* Pro convicio hic accipitur. Caprimulgi sunt aves, quae capras emulgent. *Infacetior rure.* Omni rusticitate. *Manticae quod in tergo est.* Proverbium mala nostra non videmus.

EPIGRAMMA VII.

MISERRIMAM EGESTATEM FURIO JOCOSE OBJICIT.

Furi, cui neque servus, neque arca,
Nec cimex, nec araneus, nec ignis;
Verum est & Pater, & noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes.

Digitized by Google

Pulchre concoquitis: nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus aliis periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.
Quare non tibi sit bene, ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, & mala pituita nasi.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi;
Et sestertia, quae soles precari
Centum, desine: nam sat es beatus.

Cimex. Lectus. Contentum pro continenti. *Quorum dentes*. Hyperbole ad summam famem demonstrandam. *Lignea*. Arida: quale lignum est. *Pulchre concoquitis*. Quia panem comeditis, citissime digeritis cibum. *Facta impia*. Veneficia cognatorum, aut affinium, ipsas ob haereditatem insidias. *Sicciora cornu*. Ob famem, atque perpetuam inediam. *Sestertia centum*. Haec summa apud Romanos & magna, & honesta habebatur. Ergo Catullus monet Furium ut centum sestertia a Diis petere desinat: quia pauper vacat multis incommodis, quibus si dives fieret non vacaret.

EPIGRAMMA VIII.

AD FURIUM DE VILLULA OMNI VENTO OBNOXIA.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,

Nec

Digitized by Google

Nec saevi Boreae, aut Apeliotae,
Verum ad millia quindecim, & ducenta.
O ventum horribilem, atque pestilentem!

Apeliotae. Italice *vento di levante*: Flat ab oriente aequinoctiali. *Quindecim millia*. Sensus est: Furi, villa tua non ab uno vento, ut ceterae villae agitantur; sed a quindecim millibus & ducentis. Nisi dicendum quod pluribus ea Creditoribus esset opposita.

EPIGRAMMA IX.

MINISTRUM SUUM HORTATUR, UT SIBI PORRIGAT CAPACIORA POCULA.

Minister vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores,
Ut lex Postumiae jubet magistrae,
Ebriosa acino ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite lymphae,
Vini pernicies, & ad severos
Migrate: Hic meus est Thyonianus.

Lex Postumiae. Haec fuit mulier illis temporibus vinosissima & maxime bibula, quae compotricibus, ac compotoribus suis lege bibendi a se lata tam grandia indicebat pocula, ut amarum, ac difficile cuique foret, illa uno hausu bibere. *Thyonianus*. Bacchius, ideft, merum vinum.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA X.

INTERROGAT VERANNIUM, ET FABULLUM DE LUCRO QUOD CONSECUTI SINT A PISONE AVARISSIMO.

PIsonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? Satis ne cum isto
Vappâ frigoraque, & famem tulistis?
Ecquid nam in tabulis patet lucelli
Expensum? Ut mibi, qui meum secutus
Praetorem refero datum lucello.

Pisonis. Cajus Piso adolescens nobilis summae audaciae, in citeriorem Hispaniam Quaestor pro Praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum, inimicumque Gn. Pomp. cognoverat. *Vappa*. Cum isto Pisone homine vili, ac sordido, qualis est vappa uinum corruptum. *Lucelli*. Parvi lucri. *Meum Praetorem*. Memium Bithyniae Praetorem intellige, cum quo fuit Catullus.

EPIGRAMMA XI.

ALPHENUM JURISCONSULTUM FALLACIAE, AC PERFIDIAE ARGUIT.

ALphene immemor, atque unanimis falsò sodalibus,
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi?
Jam me prodere, jam non dubitas fallere perfide.
Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent.
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciāt de hinc homines, cuive habeant fidē?

Cer-

Digitized by Google

Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrabis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre ad nebulas aërias sinis.
Si tu oblitus es, at Dii meminerunt meminit fides,
Quae, te ut paeniteat postmodo facti, faciet tui.

Alphene. Alphenus ex municipio Cremonensi, qui ex Sutore factus fuit Juris consultus, & Romae gessit consulatum. *Unanimis*. Dativus pluralis est. *Deseris*. Bene deseris: nam deserere est rem, quam quispiam tueri debeat destituere. Alphenus, ut conjectare licet, Catulli causam deseruerat. *Ventos irrita ferre*. Dicta hominum a ventis, & nubibus irri dicuntur, si ab iis non fiant, quae se se facturos proiserunt.

EPIGRAMMA XII.

SIBI IN SIRMIONEM PATRIAE PENINSULAM REDITUM GRATULATUR.

O Peninsularum, Sirmio, & Insularum
Ocelle quascunque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quamque laetus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bythinos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus ad larem nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est quod unus est pro laboribus tantis.

Sal-

Digitized by Google

Salve o venusta Sirmio, atque hero gaude.
Gaudete vosque Lydiae lacus undae.
Ridete quicquid est domi cachinnorum.

Sirmio. Parvus lacus, ad eumque parva insula in ag
Brixiano, Ital. *Sermione.* *Neptunus*, Utrumque Italia
mare, Adriaticum, & Tyrrhenum. *Thyniam.* Thraci
promontorium, Ital. *Capo Tenta.* *Bithynos.* Navigave
enim in Bithyniam Catullus. *Lydiae undae.* Lacum Be
cum appellat lydium, quod a Romanis per Lydios in I
liam advectos propagatis tenebatur.

EPIGRAMMA XIII.

CAECILIUM POETAM AMICUM AD SE INVITAT.

Poetae tenero meo sodali
Velim Caecilio, papyre dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi moenia, Lariumque littus;
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit.

Tenero. Suavissimè canenti. *Papyre.* Mi liber. *Ve*
nam. Ubi tum Poëta erat. *Novi Comi.* Urbs haec I
briae primum est dicta Comum, deinde maxime ab J
Cesare aucta Novocomum. *Larium.* Quod Urbi Como
cinus Ital. *Lago di Como.*

EPI.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XIV.

SE NE ALLOCUTIONE QUIDEM AMICI RECREATUM.

Male est Cornifici tuo Catullo;
Male est mehercule, & laborioſe:
Et magis magis in dies, & horas.
Iraſcor tibi, ſic meos amores,
Quem tu, quod nimium, facillimumque eſt
Qua ſolatus es allocutione?
Paullum quidlibet allocutionis
Maeſtius lacrimis Simonideis.

Amores. Amicitiam. *Maeſtius.* Suavius, & leniendo dolo- accomodatius. *Simonideis.* Simonides Poeta Graecus maeſtiſſimis, ſed ſuaviſſimis verſibus triſtiſſimum argumentum tractavit.

EPIGRAMMA XV.

EX BITHYNIA IN ITALIAM REDIENS.

Am. ver egelidos refert tepores,
Jam coeli furor aequinoctialis
Jucundis Zephiri ſileſcit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Niceaeque ager uber aeſtuoſae.
Ad claras Aſiae volemus urbes
Jam mens praetrepidans avet vagari,

Digitized by Google

Jam lacti ſtudio pedes vigeſcunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos ſimul a domo profectos
Diverſos variae viae reportant.

Egelidos. Tepidos, temperatos. *Aequinoctialis*. Leni flantis verno, atque autumnali aequinoctio. *Phrygii*, Bithyniam cum C. Memmio perrexerat Catullus. *Ad Urbes*. Ad urbes, quae in Italiam vergunt, ut Tro quo ad funus fratri ſolvendum venerat, Megara, Aegin ceterae.

EPIGRAMMA XVI.

MARCO TULLIO GRATIAS AGIT.

Diſertiſſime Romuli Nepotum
Quot ſunt, quotve fuere, Marce Tulli;
Quotque poſt aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium Poeta;
Tanto peſſimus omnium Poeta,
Quanto tu optimus omnium Patronus.

Gratias. Quod ob beneficium ab eo acceptum divina non poſſumus ait Muretus.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XVII.

SUPERIORIS COLLOQUII CUM LICINIO COMMENDATIO, FUTURIQUE DESIDERIUM.

Heſterno, Licini, die otioſi
Multum luſimus in meis tabellis,
Ut convenerat eſſe, delicatos
Scribens verſiculos uterque noſtrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illo
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incenſus, Licini, facetiiſque,
Ut nec me miſerum cibus juvaret,
Nec ſomnus regeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Verſarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, ſimulque ut eſſem;
At defeſſa labore membra poſtquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perſpiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, ſis: precesque noſtras
Oramus, cave deſpuas ocello,
Ne poenas Nemeſis repoſcat a te:
Eſt vehemens Dea, laedere hanc cavento.

Tabellis. Ad meam menſam. *Eſſe.* Comedere. *Modo hoc.* Vario carminum genere. *Indomitus.* Non ſopitus ſomno. *Verſarer.* Agitarer inquietus. *Poema.* Hoc epigramma. *Deſpuas.* Cave ne ſis audax meas preces contemnendo: *Cave* autem penultima correpta eſt.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XVIII.

IN INGRATUM.

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare tuum.
Omnia sunt ingrata: nihil feeisse benigne est:
Immo etiam taedet: taedet, obestque magis.
Ut mihi, quem nemo gravius, nec acerbius urget:
Quā modo qui me unum, atque unicum amicum habuit.

Quidquam. In aliqua re. *Tuum* Ita tibi conciliatum, ut constans in amicitia sit. *Benigne est.* Etiam praeclare egisse, & maxima beneficia contulisse, nihili aestimatur. *Urget.* Excruciat; nam injuriae amicorum multo gravius conficiunt. *Unicum.* Unus multitudinem, unicus parem benevolentiam excludit.

EPIGRAMMA XIX.

EJUSDEM PROPE ARGUMENTI.

Quincti si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud si quid carius est oculis:
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, seu quid carius est oculis.

Debere oculos. Ideft multo fane maxima; oculi enim sunt cariſſimi homini. *Ei.* Unius ſillabae eſt. *Carius oculis.* Pulcherrima, ac ſuaviſſima Catulli locutio, multiſque deinde accepta: oculis enim nihil plane carius cuiquam eſt.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XX.

CARISSIMAM REM AB AMICO SIBI EREPTAM QUERITUR.

RUfe mihi fruſtra, ac nequicquam credite amice:
Fruſtra? immo magno cum pretio atque malo:
Siccine ſubreſti mi? atque inteſtina perurens
Sic miſero eripuiſti omnia noſtra bona?
Eripuiſti heu, heu noſtrae crudele venenum
Vitae, heu, heu, noſtrae peſtis amicitiae.

Fruſtra. Fruſtra & nequicquam idem tandem ſunt: ſimilia in optimis occurrunt non omni ſcribenti imitanda. *Credite.* Ita, non *cognite*, legit Muretus majori vi; quae enim creduntur facilius fallunt; non ita quae perpenſa & cognita ſunt. *Pretio.* Damno. *Subreſti.* Subripuiſti. *Venenum.* Solatium, ſive amatum, & optatum malum.

EPIGRAMMA XXI.

SE AMICUM ET COGNITUM ADVENAE ET IGNOTO POSTHABITUM QUERITUR.

NEmone in tanto potuit populo eſſe, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes:
Praeterquam iſte tuus moribunda a ſede Piſauri
Hoſpes, inaurata pallidior ſtatua?
Quid tibi nunc cordi eſt, quem tu praeponere nobis
Audes? At neſcis quod facinus facias.

Bellus. Blandus, amabilis. *Moribunda.* Miſeram, & jacentem urbem Piſaurum appellat contemnentium more, qui vel digniſſima ultro attenuant. *Statua.* Cui nec ineſt, nec accidere poteſt verus color.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXII.

SILENTIUM SUUM CORNELIO NEPOTI POLLICETUR.

SI quidquam tacite commissum est fido ab amico,
Cujus sit penitus nota fides animi:
Me unum esse invenies illorum jure sacratum
Corneli, & factum me esse puta Harpocratem.

Tacite. Secreto, & nemini aperiendum. *Sacratum*. Ad haec animi arcana celanda prope consecratum. *Harpocratem*. Silentii Deum apud Aegyptios.

EPIGRAMMA XXIII.

SE AMICISSIMAE SUAE MALEDICERE NON POTUISSE.

CRedis me potuisse meae maledicere vitae,
Ambobus mihi quae carior est oculis?
Non potui, nec, si possem, tam perdite amarem,
Sed tu cum caupone omnia monstra facis.

Perdite. Stulte, ut amare pergerem quam amore indignam viderem, aut maledictis proscinderem quam laude dignam intelligerem. *Cum caupone*. Cum vilissimo & nequissimo quoque perpotans, deinde in omnia flagitia laberis.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXIV.

MALOS CUNCTIS TANDEM INVISOS ESSE, ET PERDITOS OPTARI.

SI, Comini, arbitrio populi tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat,
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra Lupi.

Si arbitrio. Si in populi potestate sit, ut intereas. *Lingua exsecta.* Supplicium culpae debet respondere, itaque maledico lingua resecetur, & avibus projiciatur.

EPIGRAMMA XXV.

PERPETUAM AMICITIAM SPONDENTI ILLUDIT.

JUcundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
Dii magni facite, ut vere promittere possit,
Atque id sincere dicat, & ex animo:
Ut liceat nobis tota perducere vita
Alternum hoc sanctae foedus amicitiae.

Preponis. Dictitas & spondes vere. Non solum promittens, aut etiam promissa servare cupiens, sed re ipsa servans. *Sincere.* Sine ulla verborum fraude.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXVI.

IN GELLIUM RERUM SUARUM PRODIGUM.

Firmano saltu non falso Gelliu' dives
Fertur, qui tot res in se habet egregias.
Aucupium omne genus, pisces, prata, arva, ferasque
Nequicquam fructus sumtibus exsuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint;
Saltum laudemus, dum tamen ipse egeat.

Exsuperat. Plura & male profundit, quam ex tam divite praedio accipiat. *Sit*. Sit dives censu & praediis, sit pauper fructu & re.

EPIGRAMMA XXVII.

IN EUMDEM.

Saepe tibi studioso animo venante requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae,
Queis te lenirem notis, neu conarere
Tela infesta meum mittere in usque caput.
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem
Gelli, nec nostras huc valuisse preces.
Quare tela infesta tua evitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

Battiadae. Callimachi Graeci Poetae, cujus carmina fevert re cepisse ait Catullus, ut Gellio ea dona mitteret. *Tela*. Mala carmina, aut dicta contumeliosa. *Dabi'*. Elisionem hanc litterae *s* nimis antiquam raro cum laude adhibendam puta.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXVIII.

DETERRET RAVIDUM A SUIS VERSIBUS CRIMINANDIS.

QUaenam te mala mens, miſelle Ravide,
Agit praecipitem in meos jambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi?
Quid vis? qua lubet eſse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluiſti amare poena.

Quaenam mala mens. Quod male eventurum eſt, & mala Auctori ſuo illaturum apparet, mala mente & malis auſpiciis ſuſcipere dicitur. *Ravide.* Eliditur hic ultima ſillaba, ab inſequente in altero verſu vocali. *Jambos*, Ut ex criminando nomen aliquod aſſequaris. *Qua lubet.* Quacunque ratione liceat.

EPIGRAMMA XXIX.

MALAM AMICI ORATIONEM AUDIENDO SE AEGRUM FACIUM.

O Funde noſter ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Nam te eſse Tiburtem autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum laedere; at quibus cordi eſt,
Quovis Sabinum pignore eſſe contendunt;
Sed ſeu Sabine, ſive verius Tiburs,
Fui libenter in tua ſuburbana

Digitized by Google

Villa, malamque pectore expuli tussim:
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, cenas.
Nam Sextianus dum volo esse conviva,
Orationem in Actium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit, usque dum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi ocimoque & urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ultu' peccatum.
Nec deprecor jam si nefaria scripta
Sexti recepso, quin gravedinem & tussim
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

Sabinus. Ad villae commendationem pertinet loci praestantia, ideoque fundum Catullus Tiburtem potius quam Sabinum dici maluit. *Quo vis pignore.* Etiam depositio pignore, & magno etiam pignore affirmant Tiburtem esse. *Non immerenti.* Quam prope volueram, dum cenam non recusavi. *Meus venter.* Ordo est: quam tussim mihi meus venter attulit, dum appeto cenas sumtuosas. *Sextianus.* Sextius hic ad cenam invitaverat, ut sua oratio in Actium competitorem a se recitaretur, ab iisque laudaretur. *Veneni.* Maledictorum, contumeliae, omnisque inelegantiae, ideo molestam. *Quassavit.* Cruciavit, confecit. *Recusavi.* A concepto quasi morbo liberavi herbis salubribus. *Ultu'.* Elisio haec litterae *s*, ut praecedens brevis sit, saepius Catullo adhibita est, numquam Virgilio, Horatio, ceteris aureae aetatis. *Recepso.* Et hoc antiquum est pro *recepero.*

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXX.

AMICUM AD CENAM INVITAT.

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cenam, cum sale, & omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, Fabulle noster,
Cenabis bene; nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores:
Seu quid suavius, elegantiusve est.
Nam unguentum dabo, quod mihi canenti
Donarunt Veneres, Cupidinesque:
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant Fabulle nasum.

Si tibi. Si hoc loco optantis est: sic tibi Dii sint propitii, ut venire possis. *Sale*. Facetiis, argutiis, urbanitate. *Omnibus cachinnis*. Omni argumento, quod hilaritatem, & ingenuum risum excitare potest. *Plenus aranearum*. Inanis est, nihil pecuniae, nihil rerum continens. *Meros amores*. Simplices, & sinceras amoris significationes. *Totum nasum*. Ut maximam saltem partem tanti odoris possis accipere, & degustare.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXI.

IN ARRIUM NIMIO ASPIRATIONUM USU DELECTATUM.

CHommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum:
Cum quantum poterat dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerat, atque avia.
Hoc misso in Syriam, requierunt omnibus aures
Audibant eadem haec leniter, & leviter.
Nec sibi post illa metuebant talia verba,
Cum subito affertur nuntius horribilis,
Jonios fluctus postquam illuc Arrius isset,
Jam non Jonios esse, sed Hionios.

Chommoda. Totus epigrammatis jocus in eo est, quod veteres illi Romani parcissime, ut auctores sunt Cicero, & Quinctilianus adspiratione utebantur, & fere solum cum vocalis praecessisset, atque ita *Gracci*, *triumpus tropaeum*, *pulcerrimus*, *Cartago* scribebant; deinde abundare ceperunt, ut *choronae*, *Chenturiones*, *praechones*. Hic autem Arrius aspirare voluit etiam vocales; quod Poeta irridet. *Liber avunculus*. Avi ejus, qui ab eo, ut qui generis ostentator haud minor, quam veteris pronunciationis, ita antiqui fingerentur, quasi a Baccho oriretur. *Misso*. In exsilium acto, aut alia ratione a Roma remoto. *Requierunt aures*. Non amplius adspiratione illa molesta audientes pronunciari. *Eadem haec*. Quae Arrius aspere hiulceque pronunciabat. *Nuncius horribilis*, Infelix, ejus naufragii.

EPI.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXII.

IN CAESAREM.

Nil nimium ſtudeo, Caeſar, tibi velle placere,
Nec ſcire utrum ſis albus, an ater homo.

Caeſar. Audax ſane, ac prope impudens Catullus, qui C. Julio Caeſari tanto viro, ac tantarum virtutum adeo illuſerit, ac propio etiam viri nomine adducto. Modeſtior in eo Martialis, ut vere praefatus ſit lib. 1. *Se ſalva infimarum quoque perſonarum reverentia* ludere. Et lib. 10. Epigr. 33. v. 9. *Hunc ſervare modum noſtri novere libelli; Parcere perſonis, dicere de vitiis. Albus, an ater.* Vetus proverbium, quo hominem prae ſua vilitate cunctis ignotum ſignificat.

EPIGRAMMA XXXIII.

INDIGNATUR QUOD IMPROBI HOMINES AD HONORES ELATI SINT.

Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet:
Per conſulatum pejerat Vatinius.
Quid eſt Catulle, quod moraris emori?

Curuli. Qua utebantur Conſules ac principes Magiſtratus. *Struma Nonius.* Hic ad aedilitatem & praeturam pervenit, homo nullius fere conſilii. *Per conſulatum.* P. Vatinius Conſul una cum Q. Fuſio Caleno ſingulis propeverbis conſulatum ſuum nominabat, & quod multo deterius eſt pejerabat.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXIV.

IN EGNATIUM CANDOREM DENTIUM CURANTEM ATQUE EFFERENTEM.

EGnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum Orator excitat fletum,
Renidet ille; seu pii ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater.
Renidet ille, quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet; hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati,
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes
Tamen renidere usquequaque te nollem.
Nam risu inepto res ineptior nulla est.

Candidos. Non natura & vere, sed aspectu & arte candidos factos, mundarat enim medicamentis. *Renidet.* Alacrius ridendo dentes candidos ostendit. *Ad rei subsellium.* Ad hominis, qui reus est, summam causam agendam ventum est, qua re nihil tristius aut gravius. *Ad rogum fili.* Ad sepulchrum, ad mortem jam defuncti filii deflendam. *Urbanus.* In urbe natus. *Parcus Umber.* Umbriae sterilitatem & inopiam tribuit. *Obesus Etruscus.* Pinguedinem Etruscis attribuit ob sacrificiorum, quorum ea aetate gens Etrusca magistra erat, epulas & convivia. *Ut meos attingam.* Verona enim Transpadana est. *Usquequaque.* Non adeo accurate, nec adeo assidue te vellem haec curare & praeferre, id enim in suspicionem adducit candorem fucatum esse, non naturalem.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXV.

AMORIS CUM ODIO QUASI PUGNA.

ODi, & amo: quare id faciam, fortaſse requiris?
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.

Odi. Superbiam, iram, contemtum tuum. *Amo*. Formam, gratiam, facultatem tuam, *Fieri ſentio*. Etiam invitus.

EPIGRAMMA XXXVI.

INFERIAE AD FRATRIS TUMULUM.

MUltas per gentes, & multa per aequora vectus
Advenio has miſeras frater ad inferias:
Ut te poſtremo donarem munere mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi te te abſtulit ipſum,
Heu miſer indigne frater ademte mihi.
Nec tamen interea priſco quae more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad inferias,

Acci-

Digitized by Google

Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum frater ave, atque vale.

Vectius. Ex Bithynia enim Asiae minoris regione ad fratris funera Catullus venerat. *Inferias*. Sacrificium, & funebrem pompam in mortui honorem. *Postremo munere*: Hoc sacrificio, & hoc carmine in tui honorem, quod postremum est, quod fratri exsolvam. *Ave atque vale*: Idem ferme est: *ave* saepius viventi: *vale* viventi, & mortuo. Erant autem haec postrema verba, quibus *mortuo* exequias solventes conclamabant. Aeneas Pallanti 7. Aen. *Salve aeternum mihi maxime Palla, Aeternumque vale.*

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATA SELECTA VARIORUM.

P. VIRGILII MARONIS.

EPIGRAMMA I.

DE LAUDIBUS HORTULI.

Aeste Musae maximi proles Jovis:
Laudes feracis praedicemus Hortuli.
Hortus salubres corpori praebet cibos:
Varioque cultus saepe cultori refert:
Olus suave, multiplex herbae genus,
Uvas nitentes, atque foetus arborum.
Non desit hortis & voluptas maxima,
Multique mista commodis jucunditas.
Aquae strepentis vitreus lambit liquor:
Sulcoque ductus irrigat rivus sata.
Flores nitescunt discolore gramine:
Pinguntque terram gemmeis honoribus.
Apes susurro murmurant gratae levi:
Cum summa florum, vel novos rores legunt.

Fe-

Digitized by Google

Fecunda vitis conjuges ulmos gravat:
Textaſve inumbrat pampinis arundines.
Opaca praebent arbores umbracula:
Prohibentque denſis fervidum ſolem comis.
Aves canoros garrulae fundunt ſonos:
Et ſe per auras cantibus mulcent ſuis.
Oblectat Hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque maeſto demit angores graves.
Membris vigorem reddit: & viſum capit.
Refert labori pleniorem gratiam:
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Salubres. Cibi enim eo ſalubriores ſunt, quo ſimpliciores: natura autem ſimplices edit, ars vero miſcendo non raro inficit. *Cultus*. Utilitates & commoda. *Vitreus liquor*. Limpidus fons, ſeu rivus, qui non minus fertilem hortum, quam amoenum facit vario aquarum uſu. *Diſcolore*. Tot, tam varii herbarum & florum colores mirifice conditoris virtutem & ſapientiam praedicant. *Gemmeis honoribus*. Ornamentis, quae vix gemmae aequiparent. *Vitis*. Vitis ulmo commendata & quaſi conjux data primum tota ulmo extenditur, deinde ſuo fructu eam gravat. *Solem*. Aeſtum. *Comis*. Ramis.

EPIGRAMMA II.

DE VIRO BONO.

Vir bonus, & prudens, qualem vix repperit unum
Millibus e multis hominum conſultus Apollo:
Judex ipſe ſui: totum ſe explorat ad unguem.
Quid proceres, quid leno procax, quid opinio vulgi
Securus, mundi inſtar habens, teres, atque rotundus

Ex-

Digitized by Google

Externe ne quid labis per laevia fidat.
Ille, dies quam longus erit sub fidere Cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in capricorno,
Cogitat: & justo trutinae se examine pensat:
Ne quid biet: ne quid protuberet: angulus aequis
Partibus ut coeat: nil ut deliret amussis.
Sit solidum quodcumque subest: nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei.
Quae praetergressus: quid gestū in tempore, quid non:
Cur isti facto decus abfuit? aut ratio illi?
Quid mihi praeteritum? cur haec sententia sedit?
Quam melius mutare fuit: miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus ante tuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? sic dicta, & facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam, & praemia rectis.

Bonus, & prudens. Sapientem uno nomine etiam dixerunt, qualem Apollo Delphicus Socratem nuncupavit. *Se explorat.* Accurate advertit in quae vitia, aut in quas virtutes natura sua eum ferat, ut ab illis caveat, ad has vero se inflammet. *Securus.* Nihil timens, immo nec fere advertens quid potentes, quid improbi homines moliantur. *Mundi.* Qui assidue labitur. *Teres, atque rotundus.* Sapiens ubique est aequalis & constans, longa enim & rotunda perfecta sunt. *Ne fidat.* Ne sapienti aliqua labes haereat polita & ornata sectatus. *Sub fidere cancri.* Aestatis tempore. *In capricorno.* Hieme: Sapiens cogitat quid aestate, quid hieme illi possit contingere, & se ad omnia parat. *Ne quid biet.*

Ne

Digitized by Google

Ne se vitiis quasi aperiat, ne vitia admittat. *Protuberet* Ne justos virtutis fines excedat. *Amussis deliret.* Ne regul vivendi, & sapiendi aliquid aberret. *Praetergressus.* Qui erraverit virtutis fines egressus; itaque recte, improbequ factorum causas, vir sapiens advertens a vitiis facile re vocatur, & ad virtutes incenditur.

EPIGRAMMA III.

DE LUDO CONTRA AVARITIAM, ET IRAM.

Sperne lucrum, vexat mentes insana cupido.
Fraude carete graves, ignari cedite doctis
Lusuri nummos animos quoque ponere debent,
Pone malas, quoties ludendo vinceris, iras.
Ludite secure, quibus aes est semper in arca:
Si quis habet nummos veniens exibit inanis.
Lusori cupido semper gravis exitus instat:
Sancta probis pax est: irasci desine victus.
Nullus ubique potest felici ludere dextra.
Initio furiis ego sum tribus addita quarta.
Plecte truces animos, ut vere ludere possis.
Ponite mature bellum precor, iraque cesset.

Lucrum. Omnem augendae pecuniae cupiditatem per fraudem, quod facere non admodum dubitant qui nimium & cupide ludunt. *Cupido.* Vincendi aut finceritate, aut fraude. *Graves.* Aetate & moribus, in quos doli non cadant. *Ignari cedite.* Si ex aliena scientia, quae saepe ludorum quasi fatum superat, & ad victoriam adducit, minus scientes vincimini, non gravate cedite. *Animos.* Debent animum

Digitized by Google

mum ita temperare & quasi dejicere, ne in pravam aliquam affectionem possint erumpere. *Secure.* Sine ullo timore, pecunia enim vobis semper reliqua est. *Exibit inanis.* Extemplo pecunia omnis consumta erit: quod verius dicitur de divite, qui ingentem nummorum multitudinem solet objicere, quam de mediocri, qui parum habet. *Cupido.* Qui ex cupiditate ludit, facile in multis errat parum consideratus, & parum cogitans, ideoque ei saepius jactura contingit. *Probis pax.* Recti quiete & moderate ludunt, ideo pax est eis. *Irasci victus.* Si victus vicem tuam dole, nemini autem irascaris. *Ubique.* Si aliquando victus, nunc autem vinceris, contentus sis. *Ego.* Ira.

EPIGRAMMA IV.

DE LIVORE SEU INVIDIA.

Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quisquis furit invidetque forti:
Ut debet, sibi poena semper ipse est:
Testatur gemitu graves dolores,
Suspirat, fremit, incutitque dentes.
Sudat frigidus intuens quod odit.
Effundit malus lingua virus atrum.
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suavis illi:
Nec si pocula Jupiter propinet:
Aut haec porrigat, & ministret Hebe:
Aut tradat Ganymedes ipse nectar.

Digitized by Google

Non somnum capit: aut quiescit unquam
Torquet viscera carnifex cruentus.
Vesanos tacite movet furores
Intentans animo faces Erynnis
Lethalis, Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat, comestque mentem.
Vivit pectore sub dolente vulnus:
Quod Chironia nec manus levarit,
Nec Phoebus, soboleve clara Phoebi.

Malis. Male affectis, ideſt alienas felicitates nimium cupientibus, nec agere audentibus, ut ad pares aut ſimiles perveniant. *Intactis oſſibus.* Ut una oſſa intacta & ſana relinquat. *Poena eſt.* Nam nec ad optata ſua ut fortiori noceat pervenire poteſt, illumque ſemper novis auctum laudibus, honoribus, & divitiis videt. *Incutit dentes.* In fremitu, & indignatione dentem dente collidit. *Virus.* Omnia contumelioſe dicta in eos quos odit, aut quibus invidet. *Terribilis.* Nunc exſanguis, nunc incenſus, nunc teter, ſemper crucians. *Renudat.* Macies ex invidia concepta hominem conficit. *Nec potus.* Nec liquidae ac puriſſimae aquae, nec pretioſi vini etiam ab Jove de caelo miſſi potio reficiat. *Hebe.* Dea Juventutis ſemper vigens ac venuſta. *Ganymedes.* Jovis pocillator. *Carnifex cruentus.* Malus animus. *Erynnis.* Bellorum jurgiorumque excitatrix furia tumultus & furores in ejus animo accendit. *Chironia.* Manus medica excellens, qualis fuit Chiron, qui Chirurgicae artis inventor habitus eſt, & clariſſimus Medicus.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA V.

DE LITTERA Y.

Littera Pythagorae diſerimine ſecta bicorni,
Humanae vitae ſpeciem praeferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem;
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert.
Sed requiem praebet ſeſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata: ſed ultima metae
Praecipitat captos: volvitque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit: ille ſibi laudemque, decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitas incauta mente labores:
Turpis, inopſque ſimul miſerabile tranſiget aevum.

Pythagorae. A Pythagora inventa. *Bicorni*. Lineis contortis efformata, & diſtincta. *Species*, Effigies, & imago praeſertim brevitatis, atque errorum vitae humanae. *Via virtutis*. Celebre Platonis dictum initia virtutis amara eſſe, exitus vero dulces: quod principia moleſtiora & difficiliora occurrunt non adhuc illuſtrata intelligentia, deinceps vero ſuaviora & faciliora, praeſertim jam addicta ſtudio mente, & illuſtrata per ſtudium. *Via lata*. Via imperitorum otio & ſomno diffluens. *Captos*. Ejus mollitie & deſidia.

Digitized by Google

EPIGRAMMA VI.

EST ET NON.

Est & non cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demtis nihil est hominum quod sermo volutet.
Omnia in his, & ab his sunt omnia: sive negoti,
Sive oti quidquam, seu turbae, sive quietis,
Alterutro pariter nonnumquam, saepe secus sis.
Obsistunt studiis, ut mores ingeniumque,
Et faciles, vel difficiles, contentio nata est.
Si consentitur, mora nulla intervenit, est, est.
Sin contraversum, dissentio subjicit non.
Hinc fora dissultant clamoribus: hinc furiosi
Jurgia sunt Circi: cuneati hinc laeta theatri
Seditio: & tales agitat quoque Curia lites.
Conjugia & nati cum patribus ista quietis,
Verba serunt studiis, salva pietate loquentes.
Hinc etiam placidis schola consona disciplinis,
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat Dialectica turba Sophorum.
Est lux: estne dies? tergo non convenit istuc:
Nam facibus multis, aut fulguribus quoties lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei.
Est & non igitur, quoties lucem esse fatendum est
Sed non esse diem, mille hinc certamina surgunt.
Hinc pauci, & multi quoque talia commeditantes

Mur-

Digitized by Google

Murmure concluso rabiosa silentia rodunt:
Qualis vita hominum; duo quam monosyllaba versant.

Frequentant. Saepe in ore habent. *Volutet*. Ambiguus sit, t incertus. *Negoti*. Pro negotii, ideſt laboris & curae, adminiſtrandis rebus ſeu publicis, ſeu privatis. *Oti*. Pro ii, ideſt quietis & tranquillitatis nihil rerum attingen-. *Turbae*. Multitudinis hominum regendae. *Quietis*. Si-uni proſpiciendo. *Seorſis*. Separatis: vox antiqua. *Fora*, inc lites in foro, & jurgia. *Circi*. Circi Maximi, ubi ma-ma libertate concurrunt & vociferantur homines. *Cu-ati*. Cuneati quaſi in cunei formam efficti. *Conjugia*. iri & Uxores. *Verba*. Lites. *Salva*. Nihil laeſa. *Dogma-as*. Civiles, neque exſilio, neque capite, ſed compoſi-one per Judicis decretum abſolvendas. *Dialectica*. Irridet btiles atque inanes Philoſophorum opiniones praecipue ad rum extortas, ut diſceptent, non ut probent. *Tergo*. In ſputationum exitu: ſive dum quiſque clamat, nec ſocium lvertit.

EPIGRAMMA VII.

DE AETATIBUS ANIMALIUM.

TEr binos, decieſque novem ſuperexit in annos
Juſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos novies ſuperat vivendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis ſaecula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus; at illum
Multiplicat novies phoenix reparabilis ales.
Quem nos perpetuo decies praevertimus aevo,

Digitized by Google

Nymphae Hamadriades: quarum longissima vita est, Cetera secreti novit Deus arbiter aevi.

Ter binos. Nonaginta sex, aut centum anni olim credita vita hominis: licet pauci admodum ad eum annorum numerum pervenerint plurimis abhinc saeculis. *Novies.* Cornix homines novies superat, dum novem saecula vivere creditur. *Egreditur.* Cervus quater superat vitam cornicis, dum ipse ter mille & sexcentos annos vivere creditus est. Ceterum haec cervi vita, ut & corvi, & phoenicis fabulae jam putantur.

EPIGRAMMA VIII.

DIES NATALIS.

CLarus inoffenso procedat lumine Titan:
Laetificusque dies eat omnibus aethere claro.
Vosque simul juvenes animis ac voce faventes
Concelebrate diem votis felicibus almum,
Prosper ut is semper redeat, vatique quotannis
Asmenidae referant alacres sua munera nati.

Inoffenso. Sine ulla nubium admixtione: seu felix cumulate sine ulla infelicitate. *Omnibus.* Non solum auctori suo, qui hac die natus est, sed amicis, ceteris omnibus mortalibus. *Vos juvenes.* Qui sane apti ad laetitiae argumenta celebranda. *Asmenidae.* Nomen viri, cujus causa Virgilius id canit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA IX.

DE FORTUNA.

O *Fortuna potens*, *
Tantum juris atrox quae tibi vindicas:
Evertisque bonos: eligis improbos:
Nec servare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Justos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitiis beat.
Haec aufert juvenes, & retinet senes,
Injusto arbitrio tempora dividens.
Quod dignos adimit, transit ad impios.
Nec discrimen habet, rectaque judicat.
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica.
Nec quos clarificat perpetuo fovet.
Nec quos deseruit perpetuo premit.

Potens. Desideratur altera pars hujus versus. *Tantum juris*. Tantam potestatem tibi usurpas. *Eligis*. Ad honores, ad divitias immeritos extollis. *Muneribus*. Praeclare factis, egregiis meritis, & maximis laboribus. *Juvenes*. Qui industria, prudentia, & felicitate ad magna facta provolabant; senes vero qui effoeti aetate, viribus destituti, & animo debilitati nihil jam agant, nec audeant, in vitam reservas. Quod tamen ferme maximum beneficium est; senes enim saepe plura consequuntur ad communem utilitatem sedentes, quam juvenes agentes. *Dignos*. Negligit atque omittit, impios curat atque evehit. *Nec quos*. Quod maximum atque assiduum felicibus documentum ne superbiant, ingens vero solatium miseris ne animo cadant in calamitatibus, sed alteram sortem expectent.

Digitized by Google

EPIGRAMMA X.

DE ORPHEO.

THrejicius quondam vates fide creditur canora
Movisse sensus acrium ferarum:
*Atque amnes tenuisse vagos, **
Et surda cantu concitasse saxa;
Suavisonosque modos testudinis arbores secutae
Umbram feruntur praebuisse vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit,
Doctaque vitam voce temperavit.
Justitiam docuit: coetu quoque congregavit uno:
Moresque agrestes expoliavit Orpheus:

Creditur. Si de silvis & feris accipias fabula est, si de agrestibus atque efferatis Thraciae populis ab Orpheo institutis, historia putatur. *Vagos*. Desunt alia carminis verba. *Concitasse*. Ad se adduxisse. *Sed placidis*. En ex fabula ad rei historiam dilabitur. *Voce*. Saluberrimis documentis, gravissimis exemplis, & gratissima eloquentia feros illos homines ad tranquillitatem, ad consuetudinem, ad omnem justitiam composuit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATA SELECTA VARIORUM.

T. PETRONII ARBITRI.

EPIGRAMMA I.

PECUNIA OMNIA CORRUMPI.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi qui Cynica traducunt tempora cena,
Nonnunquam nummis vendere verba solent:
Ergo judicium nihil est nisi publica merces,
Atque Eques in caussa qui sedet, emta probat.

Pecunia. Ubi ex pecunia homines omnia a cunctis impetrant, justa injusta. *Paupertas.* Neque jura sua, licet aperta & manifesta sint, potest obtinere nec precibus, nec lacrimis. *Cena Cynica.* Misera & vili: nam Cynici leguminibus, & simplicibus cibis nutriebantur. *Vendere verba.* Promittere cum nummos accipiunt, fallere postquam acceperunt. *Judicium est merces.* In quo qui ditior est & plura offert fere omnem causam vincit; pauper vero nec fere auditur. *Eques sedet.* Qui in judicio adest ceteris Judicibus, ut judicium ipsum rectum sit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA II.

EJUSDEM PROPE ARGUMENTI.

Quisquis habet nummos secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes,
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus paret, non paret, habeto,
Atque esto quidquid Servius, & Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis praesentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

Habet nummos. Ingenti pecunia instructus securus naviget, habebit enim secundos ventos: quod tamen censorie dictum vides, non vere: nemo enim aut ventos secundos in mari, nec fortunam in arbitrio suo habebit ex pecunia. *Carmina.* Si scribet carmina, aut alia scriptionum genera, laudabitur, & tamquam princeps habebitur. *Paret. Paret,* aut *si paret,* & deinceps *si apparet Titium dare oportere,* aut contra *paret Titium dare non oportere,* formulae sunt Jurisconsultorum: ita si has ipsas tantum jactabit, Jurisconsultus putabitur. *Servius, & Labeo.* Jurisconsulti ea aetate celebres. *Nummis praesentibus.* Cupias quidquid velis habebis per nummos, sine nummis non habebis. Nummi Jovem ipsum arbitrio suo agere jubent.

EPIGRAMMA III.

AMICITIAM OB UTILITATEM, NON OB VIRTUTEM COLI.

Nomen amicitiae, si quatenus expedit haeret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.

Cum

Digitized by Google

Cum fortuna manet, vultum servatis amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur.
Filius hic, nomen divitis ille tenet
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulat aperit.

Si haeret. Si animo sedet & immotum retinetur, quantum utile est, non autem quantum honestum, amicitia erit id quod sunt calculi in tabula, qui domino suo necessarii sunt, nedum utiles ad consequendam victoriam, quamquam hat illae rejiciantur tamquam res vilissima. *Grex.* Homines ex multitudine assumti humilia officia etiam in scenis agunt. *Partes ridendae.* In fine Comoediarum mimi risum excitare debebant. *Vera facies.* Propria animi conditio quam sibi suis quisque moribus facit.

EPIGRAMMA IV.

AVARUM NEC IIS UTI QUAE POSSIDET.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis haec magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & sicco concoquit ore famem.

Inter aquas. Cum aquis immersus sit ad mentum, eas tamen non potest attingere: ut etiam poma, quae ad caput ei pendent, non potest arripere. *Cernens.* Quaecunque ei opus sunt in domo sua aspiciens & servans, sed cum timeat ea imminuere, fame potius perit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA IV.

ELOQUENTES IN PRETIO NON ESSE.

Qui pelago credit, magno se foenore tollit;
Qui pugnas, & castra petit, praecingitur auro,
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro:
Sola ruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua desertas invocat artes.

Pelago. Qui mari suam navem, suas merces, & vitam suam credit magna adit pericula, sed magnas quoque divitias comparat. *Praecingitur.* Oneratur. *Adulator.* Adulator licet vilis sit, & toties etiam suspectus, tamen domino suo carus est, ab eoque ingentem pecuniam refert, ut in ostro jacere possit. *Ruinosis:* Laceris & squallentibus. *Desertas.* Tamquam parum utiles ab hominibus derelictas.

EPIGRAMMA V.

EX VOTIS, QUAE PER DIEM AGITANTUR, SONMIA EVENIRE.

Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deum, nec ab aethere Numina mittunt:
Quae sibi quisque facit: nam cum prostrata sopore
Urget membra quies, & mens sine pondere ludit:
Quidquid luce fuit, tenebris agit: oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas saevit in urbes;
Tela

Digitized by Google

Tela videt, versasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent; legesque, forumque,
Et pavido cernunt infusum corde Tribunal.
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum.
Venatu saltus canibus quatit, eripit undis,
Aut premit eversam periturus navita puppim.
Et canis insomnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

Sine pondere. Ut sine ulla cura, sine ulla cogitatione. *Luce fuit.* Quidquid die cogitatum, & praesertim diu multumque aut cupitum, aut formidatum, aut quaesitum, aut recusatum, nocte in mentem redit. Hinc Claudian. *Omnia, quae sensu volvuntur vota diurno, Pectore sopito reddit amica quies. Tribunal.* Judicum sedem, unde sententia pronuncianda est; ideo cernunt pavido corde pertimescentes, ne contra eos pronuncietur. *Vulnera.* Timores & vota.

EPIGRAMMA VI.

PETRONII ANTIGENIDIS PISAURIENSIS.

DE LITTERARUM AETERNITATE.

Haec, urbem circa, stulti monimenta doloris,
Quasque vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidasque ausas vicinum attingere caelum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mausoleum miserae solatia mortis,
Intulit aeternum quo Cleopatra virum:

Con-

Digitized by Google

Concutiet, sternetque dies, quoque altius exstat
Quodque opus, hoc illud carpet, edetque magis.
Carmina sola carent fato, mortemque repellunt.
Carminibus vives semper, Homere, tuis.

Stulti. Non permansuri, sed tempore absumendi; ideo quasi insipienter evecti. *Pyramidas.* Moles inclitae in AEgypto, de quibus continuo in Martiali. *Mausoleum.* Sepulcrum quod Mausolo viro suo Artemisia Cariae Regina exstruxit: hic refert ad Cleopatram ejusdem prope regionis Reginam. *Concutiet.* Absumet atque evertet.

EPIGRAMMA VII.

PETRONII AFRANII. DE ELEPHANTE.

Monstrorum princeps Elephas proboscidis armis
Horret mole nigra, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo cum bellua gliscat,
Est tamen ex certis mors pretiosa ferae.
Nam quae conspicimus montani roboris ossa,
Humanis veniunt usibus apta suis.
Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tabliſtris;
Discolor & tabulae calculus inde datur.
Haec est humanae semper mutatio mortis,
Fit moriens ludus qui fuit ante pavor.

Monstrorum princeps. Belluarum maxima. *Gliscat.* Saeviat. *Montani roboris.* Elephantis, qui mons quidam videri possit. *Tabliſtris.* Lusoribus, qui in tabula ludunt. Vox non facile adhibenda.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATA SELECTA VARIORUM.

C. VALERII MARTIALIS.

EPIGRAMMA I.

MAXIMA ORBIS TERRARUM OPERA VESPASIANI AMPHITHEATRO CEDERE.

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis.
Aſſiduus jactet nec Babilona labor.
Nec Triviae templo molles laudentur honores,
Diſſimulesque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.
Omnis Caeſareo cedat labor amphitheatro:
Unum prae cunctis fama loquatur opus.

Pyramidum. Moles iſtae altiſſimae in imo quadratae in vertice acuminatae Aegyptiorum Regum ſepulcra erant. *Memphis.* Urbs Aegypti praecipua, & his Regum ſepulcris

eris inclita. *Assiduus.* Nam duorum annorum spatio tanta urbs aedificata est. *Triviae.* Dianae, cujus simulacrum in triviis collocabant. *Honores.* Statuae, columnae, cetera opera in templo Dianae Ephesi celeberrimo. *Cornibus.* Caprearum a Diana interfectarum, quae in Jovis Ammonis templo Apollo voluit collocata. *Caesareo.* Quod Vespasianus inchoavit, Titus perfecit. Porro sex prima haec epigrammata sumta sunt ex libro *Spectaculorum*, qui liber partim ex Martiali, partim ex aliis antiquitus collectus est.

EPIGRAMMA II.

SPECTATORUM NUMERUS, ET IN VESPASIANUM FAVOR.

Quae tã sepositа est, quae gens tã barbara, Caesar,
Ex qua spectator non sit in Urbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopejus Hemo,
Venit & epoto sarmata pastus equo
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
Et quem supremae Terthios unda ferit.
Festinavit Arabs, festinavere Sabaei,
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.
Vox diversa sonat, populorum est vox tamen una;
Cum verus Patriae diceris esse Pater.

Sepositа. Sepositа ex regionis, barbara ex morum peregrinitate dicitur. *Orpheo.* Quod ibi natus atque educatus est Orpheus. *Equo.* Equino sanguine. *Prima.* Ubi primum Nilus flumen dici potest: ceterum Nili origo nec illa, nec nostra aetate satis comperta est. *Supremo.* Extremi maris, & Hi-

Digitized by Google

& Hiſpanos, Luſitanos, eorum finitimos intellige potius quam Britannos. *Nimbis*. Croci, aliorumque odorum copia & luxu perditi. *In nodum*. Ne comam ornare debeant: itaque Germani ob negligentiam, Aethiopes ob luxum crines in nodum torquent.

EPIGRAMMA III.

DELATORES EXSILIO EXPULSI.

Turba gravis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae ſemper miſeras ſolicitabat opes,
Tradita Getulis: nec cepit arena nocentes;
Et delator habet, quod dabat, exſilium.
Exulat Auſonia profugus delator ab Urbe:
Impenſis vitam Principis annumeres.

Opes. Homines vel divites ad mendicitatem adducebat. *Getulis*. Apud remotiſſimas gentes, quales ſunt Getuli in Libia, in exſilium acta eſt. *Exulat*. Alii hinc aliud epigramma ordiuntur.

EPIGRAMMA IV.

LAUREOLUS ADMISSI SCELERIS POENAM LUIT PROMETHEI FABULAM REPRAESENTANS.

Qualiter in ſcythica religatus rupe Prometheus
Aſſiduam vivo viſcere pavit avem;

Digitized by Google

Nuda Caledonio sic pectora praebuit urso
Non falsa pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri membris stillantibus artus,
Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Vicerat antiquae sceleratus crimina famae,
In quo quae fuerat fabula, poena fuit.

Assiduam. Quae assidue eum laniat. *Vivo.* Semper novo poenae. Alii legunt nimio pectore. *Caledonio,* Ex silva caledonia in Scotia. *In cruce.* Fuit hic mos Romanis, ut quos interfici ex eorum scelere oporteret, eos ad multitudinis spectaculum fabulam aliquam repraesentantes plectere: itaque hic Laureolus fabulam Promethei, alius Icari, alter Phaetontis, ille Orphei lacerati repraesentavit.

EPIGRAMMA V.

DE LEONE INTERFECTO, QUOD MAGISTRUM LAESERAT.

Laeserat ingrato leo perfidus ore Magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus.
Sed dignas tanto persolvit crimine poenas;
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub Principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris?

Notas. Quae toties cibum, praedam, plausum obtulerant. *Tela tulit.* Qui a Magistro numquam vapulaverat, jussu Principis interfectus est.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA VI.

EX INTEREMTAE SUIS VENTRE PARTUS.

SUs fera jam gravior maturi pignore ventris
Emisit foetum vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Sus fera. Eleganter voce illa *fera* aprum feminam expressit silvestrem, non domesticam suem significans. *Gravior.* Partui proxima. *Quantum ingenium.* Quanta est solertia, & quanti conatus ad vitanda improvisa pericula.

EPIGRAMMA VII.

DUORUM GLADIATORUM PAR PUGNA.

DUm peteret pars haec Myrinũ, pars illa Triũphum,
Promisit pariter Caesar utrumque manu.
Non potuit melius litem finire jocosam.
O dulce invicti Principis ingenium!

Myrinum. Myrinus & Triumphus vera duorum gladiatorum nomina. *Utrumque.* Domitianus affirmavit se utrumque victorem decernere ac praemio donare.

Digitized by Google

EPIGRAMMA VIII.

SIMILE ARGUMENTUM.

Cum traberet Priscus, traberet certamina Verus,
Esset & aequalis Mars utriusque diu;
Missio saepe viris magno clamore petita est;
Sed Caesar legi parcit ipse suae.
Lex erat ad digitum posita concurrere palmae:
Quod licuit lances, donaque saepe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis aequi,
Pugnavere pares, succubuere pares.
Misit utrique rudes, & palmas Caesar utrique:
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc nullo nisi te sub Principe, Caesar:
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Traberet. Ita sustineret, ut victoriam alteri differret, nec ipse obtineret. *Mars*. Pugna. *Missio*. Pugnae solutio, & facultas ut utrique abire liceret. *Ad digitum*. Donec tandem ad terram dejiceretur, aut victum se sublata supplicite manu fateretur. *Lances*. Munera victori dari solita. *Succubuere*. Dimissi incolumes sunt, cum alioquin alter certe occumberet. *Rudes*. Baculos, quibus victor donabatur. *Palmas*. Libertatem, vitam, & munera.

EPIGRAMMA IX.

INVITATIO AD LIBRUM LEGENDUM.

Hic est, quem legis, ille, quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis

Ar-

Digitized by Google

Argutis epigrammaton libellis:
Cui lector studiose, quod dedisti
Viventi decus atque sentienti,
Rari post cineres habent Poetae.

Toto orbe. Quare adeo celebratus nec sani ubique gustus, nec optimarum virtutum auctor? Quod facilis artificii, ideoque sat multis accommodatus, quod dicax, & nota vitia exagitans, quae res justo latius semper probata est.

EPIGRAMMA X.

STELLAE COLUMBA CUM PASSERE CATULLI COMPARATUR.

Stellae delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit Maxime passerem Catulli.
Tantum Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere major est columba.

Columba. Stella Aruntius Patavinus Poeta certo carmine mortuam columbam defleverat, ut passerem Catullus. *Verona*. Cujus est Civis Catullus. *Major columba*. Populare, sane, ac pingue judicium: de poemate aliquo judicare, ex rei mole, de qua scriptum est.

EPIGRAMMA XI.

DE REGULO A RUINA SERVATO.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque sulfureis Albula fumat aquis;

Digitized by Google

Rura nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis
Signat vicina quartus ab Urbe lapis:
Hic rudis aestivas praestabat porticus umbras,
Heu quam paene novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras fortuna querelas,
Quae par tam magnae non erat invidiae.
Nunc & damna juvant: sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare Deos.

Herculei. Nam Tibur peculiari ritu Herculem colu*Albula*. Tiburis balnea, cujus aquae in Anienem excipiuntur. *Lapis*. Quatuor millia passuum; nam Romani ad mille quosque passus lapidem erigebant indicium viatoribus. *Subito*. Statim ac Regulus inde abierat. *Stantia*. Non offendissent se viri dignitatem verita esse, ac Deos illius incolumitati consuluisse.

EPIGRAMMA XII.

LEPORIS LUSUS CUM LEONE.

Delicias, Caesar, lususque, jocosque leonum
Vidimus: hoc etiam praestat arena tibi,
Cum prensus blando toties a dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus,
Unde potest avidus captae leo parcere praedae?
Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest.

Delicias. Spectacula. *Etiam*. Praeter gladiatorum pugnas. *Arena*. Amphitheatrum. *Est Caesaris*. Assentatio est, sed

Digitized by Google

sed casus certe admirabilis fuit, ut lepus fugiens in leonis ora prope incideret, nec leo illum prae fugientis celeritate arriperet: si autem Caesar iterum jussisset, non impetrasset.

EPIGRAMMA XIII.

AD SINGULORUM DIERUM BONA ARRIPIENDA COHORTATIO.

O mihi post nullos Juli memorande sodales,
Si quid longa fides, canaque jura valent.
Bis jam paene tibi Consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies:
Non bene distuleris videas quae posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curaeque, catenatique labores:
Gaudia non remeant, sed fugitiva volant.
Haec utraque manu complexuque affere toto:
Saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam:
Sera nimis vita est crastina; vive hodie.

Cana. Vetus & sincera amicitia. *Consul.* Jam annum prope sexagesimum agis. *Numerat.* Paucos dies tibi arripuisti, quos jucunde frangeres. *Catenati.* Connexi, dum alter alterum consequitur. *Sera.* Si ad vere bona cohortaretur, plane excelleret. Tamen voluptarius homo pulchre contendit.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XIV.

PRETIOSA VINA CUM VILIBUS MISCENTEM ILLUDIT.

Quid te, Tucca, juvat vetulo miſcere falerno
In Vaticanis condita muſta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi peſſima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile eſt: ſcelus eſt jugulare falernum,
Et dare Campano toxica ſaeva mero.
Convivae meruere tui fortaſſe perire:
Amphora non meruit tam pretioſa mori.

Vetulo. Optimo, aetatem ferente. *Muſta*. Exigui pretii vinum. *Jugulare*. Atterere, nobilitatem ſuam, & vitam eripere. *Campano*. Vino falerno, quod in Campania eſt. *Amphora*. Quae cum vile vinum incluſerit, atteritur.

EPIGRAMMA XV.

DE MUTIO SCAEVOLA.

Cum peteret Regem decepta ſatellite dextra
Injecit ſacris ſe peritura focis:
Sed tam ſaeva pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis juſſit abire virum.

Ure-

Digitized by Google

rere quam potuit contemto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Major deceptae fama eſt & gloria dextrae.
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Satellite. Scriba, quem ob eumdem ornatum, eumdemque habitum Regem credidit: vide Liv. lib. 2. *Sacris*. Ad rem comburendum quaſi ad ſacrificium accenſis. *Major*. Quod patriam ut voluit liberavit, nec ſe regio ſanguine maculavit.

EPIGRAMMA XVI.

IDEM ARGUMENTUM IN AMPHITHEATRO REPRAESENTATUM.

QUi nunc Caeſareae luſus ſpectatur arenae,
Temporibus Bruti gloria ſumma fuit.
Aſpicis ut teneat flammas poenaque fruatur,
Fortis & attonito regnet in igne manus!
Ipſe ſui ſpectator adeſt, & nobile dextrae
Funus amat, totis paſcitur illa ſacris:
Quod niſi rapta foret nolenti poena, parabat
Saevior in laſſos ire ſiniſtra focos.
Scire piget, poſt tale decus, quid fecerit ante;
Quam vidi ſatis eſt hanc mihi noſſe manum.

Bruti. Qui Reges expulit. *Fruatur*. Immotus ac fortis adeo, ut frui videatur. *Attonito*. Ob tantam conſtantiam. *Paſcitur*. Tota aduritur velut ſola ſacrificium peractura. *Laſſos*. Quaſi cedentes tantae virtuti. *Piget*. Nolo ſcire ex quo ſcelere plectatur, ſatis eſt ſpectaſſe hanc fortitudinem.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XVII.

COHORTATUR FAUSTINUM POETAM, UT LIBROS SUOS IN LUCEM EDAT.

EDe tuos tandem populo, Fauſtine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces,
Nec ſileant noſtri praetereantque ſenes!
Ante fores ſtantem dubitas admittere famam?
Teque piget curae praemia ferre tuae?
Poſt te victurae, per te quoque vivere chartae
Incipiant: cineri gloria ſera venit.

Cecropiae. Athenae a Rege ſuo Cecrope ita dictae. *Pandionis.* Qui alter Athenarum Rex fuit. *Noſtri.* Latini. *Sera.* Ipſe tamen Mart. lib. 3. epigr. 10. *Si poſt fata venit gloria, non propero.*

EPIGRAMMA XVIII.

LUCANI ET TULLI FRATRUM EXIMIUS AMOR.

SI, Lucane, tibi, vel ſi tibi, Tulle, darentur
Qualia Ledaci fata Lacones habent:
Nobilis haec eſſet pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet uterque prior.

Di-

Digitized by Google

Diceret infernas & qui prior iſset ad umbras;
Vive tuo frater tempore, vive meo.

Ledaei. Caſtor & Pollux gemini Ledae filii Spartani, quorum Pollux, cum immortalis eſſet, immortalitatem Caſtori communicare maluit, quam ſolus eam habere.

EPIGRAMMA XIX.

DECIANUM VERUM ESSE AMICUM.

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales priſca fides, famaque novit avos.
Si quis Cecropiae madidus, Latiaeque Minervae
Artibus, & vera ſimplicitate bonus:
Si quis erit recti cuſtos, imitator honeſti;
Et nihil arcano qui roget ore Deos:
Si quis erit magnae ſubnixus robore mentis;
Diſpeream, ſi non hic Decianus erit.

Cecropiae. Graece latineque doctus. *Arcano.* Prece aliis non patefacta, ut quae inania aut mala flagitet. *Diſpeream.* Jurantium formula.

EPIGRAMMA XX.

VITAE NON SPECIE, SED RE BEATAE VOTUM.

Vota tui breviter ſi vis cognoſcere Marci.
Clarum militiae, Fronto, togaeque decus,
Hoc

Digitized by Google

Hoc petit: esse sui nec magni ruris arator,
Sordidaque in parvis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus ave;
Cui licet exuviis nemoris, ruriſque beati
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis inaequales onerat cui villica mensas,
Et sua non emtus praeparat ova cinis?
Non amet hanc vitam quisquis me non amet, opto:
Vivat & urbanis albus in officiis.

Marci. Martialis. *Frigora*. E molliſſimo Spartano marmore, ac molliſſime picto indicta. *Ave* Salutationem matutinam. *Ineptus*. Quia adulationis ac lucri, non veri & moris ac officii cauſſa id facit. *Exuviis*. Praeda. *Inaequales*. Rudes ac ſimplices. *Albus*. Pallidus.

EPIGRAMMA XXI.

SUAE PATRIAE, EJUSQUE PRINCIPUM POETARUM LAUS.

Verona docti ſillabas amat Vatis,
Marone felix Mantua eſt:
Cenſetur Apona Livio ſuo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus:
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,
Naſone Peligni ſonant;

Duoſ-

Digitized by Google

uosque Senecas, unicumque Lucanum,
Facunda loquitur Corduba.
laudent jocosae Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo:
e, Liciane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis.

Vatis. Catulli Civis sui. *Apona*. Parvus vicus in agro atavino, ex eoque Livius Andronius, Stella Aruntius, & Valerius Flaccus. *Duos*. Alter Rhetor, Philosophus alter. *Jocosae*. Gades Ital. *Cadice*, jocosae dictae, quod ex ea urbe saltatriculae & mimae plures prodibant. *Bilbilis*. Ital. *Bilbosa*, Martialis patria.

EPIGRAMMA XXII.

EXCUSATIO, QUOD NON HEROICA AGGREDIATUR.

Saepe mihi dicis, Luci carissime Juli,
Scribe aliquod magnum: desidiosus homo es.
Otia da nobis; sed qualia fecerat olim
Maecenas Flacco, Virgilioque suo.
Condere victuras tentem per saecula chartas,
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt juga ferre juvenci:
Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor:

Magnum. Poema, tragaedias, paria. *Maecenas*. Qui praedia, alia munera donaverat. *In steriles*. Ubi fructus non speratur, labor non suscipitur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXIII.

MEDIOCRI FORTUNA SE CONTENTUM VIVERE.

QUinctiliane, vagae moderator ſumme juventae;
Gloria Romanae, Quinctiliane, togae.
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam, properat vivere nemo ſatis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere cenſus:
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta juvant, & fons vivus, & herba rudis.
Sit mihi verna ſatur, ſit non doctiſſima conjux,
Sit nox cum ſomno, ſit ſine lite dies.

Vagae. Optata ſua facile mutantis; ſeu circuire ac vagari cupientis. *Togae.* Nam a Domitiano, cujus Nepotes erudivit, Senator factus eſt. *Propero.* Laute vivo cum poſſum, ideo ſemper pauper. *Arctat.* Ornat & cumulat domum magnifica ſupellectili. *Rudis.* Quae ſua ſponte naſcitur. *Satur.* Non avare nutritus.

EPIGRAMMA XXIV.

AD DOMITIANUM CAESAREM IN SUIS LIBRIS LEGENDIS VOTUM.

RErum certa ſalus, terrarum gloria, Caeſar,
Soſpite quo magnos credimus eſſe Deos;

Si

Digitized by Google

i festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos.
uod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.
Haec si displicui, fuerint solatia nobis;
Haec fuerint nobis praemia si placui.

Quo sospite. Quasi in ejus faustitate occupati. *Trium*. Qui tres liberos ex legitimis nuptiis suscepissent magnis privilegiis per Caesares ornabantur, iisdem alii virtutis causa.

EPIGRAMMA XXV.

LIBRUM SUUM ROMAM MITTIT.

ROmam vade liber: si veneris unde requiret:
Aemiliae dices de regione viae.
Si, quibus in terris, quaesimus in urbe, rogabit:
Corneli referas me licuisse foro.
Cur absim quaeret: breviter tu multa fatere;
Non poterat vanae tadia ferre togae.
Si, quando veniet? dice: responde, Poeta
Exierat, veniet cum citharaedus erit.

Corneli. Forum Cornelii a Cornelio Silla aedificatum, quare & forum Sillae dicitur: Ital. *Imola*. *Veniet*. Indignatur Poeta, quod tunc Romae magno in honore haberentur cytharaedi, non Poetae. *Responde*. Respondeo est etiam tertiae inflexionis apud priscos.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXVI.

EJUSDEM FERE ARGUMENTI.

Vis commendari sine me cursurus in urbem,
Parve liber multis? an satis unus erit?
Unus erit (mihi crede) satis, cui non eris hospes,
Julius assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc primi quaeres in limine tecti
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille, Lares.
Est illi conjux, quae te manibusque, sinuque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.
Hos tu seu pariter, sive hanc, illumve priorem
Videris; hoc dices: Marcus avere jubet.
Hoc satis est, alios commendet epistola; peccat,
Qui commendandum sibi putat esse suis.

Primi tecti. In urbis ingressu, nisi mavis in prima aedium parte. *Pariter*. Simul imbo assidentes.

EPIGRAMMA XXVII.

IN PRODIGUM FILIUM.

Constituit, Philomuse, Pater tibi millia bina
Menstrua, perque omnes praestitit illa dies.
Luxuriam premerit cum crastina semper egestas,
Et vitiis esse danda diurna tuis.

Idem

Digitized by Google

Idem te moriens heredem ex asse reliquit:
Exheredavit te, Philomuse, Pater.

Bina. Adde sestertia, seu sestertium, suntque quingenti nummi, seu centusses: 500. *filippi, ovvero scudi Romani di* 10. *paoli l' uno. Menstrua.* In mensem. *Crastina.* Cum singulis diebus omnem pecuniam acceptam profudisses. *Ex asse.* In solidum, seu omnem hereditatem. *Exheredavit.* Nam statim omnia profundes, ac pauper eris perinde ac si Pater te exheredasset.

EPIGRAMMA XXVIII.

DE VIPERA IN ORE URSAE LATENTE.

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictae qua platanona ferae;
Hujus dum patulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hilas, teneram mersit in ora manum.
Vipera sed caeco scelerata latebat in ore,
Vivebatque anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit: o facinus falsa quod ursa fuit!

Platanona. Locus platanis pluribus ad amoenitatem consitus. *Hiatus.* Dum circa ursam, ejusque ora ludit, ac tentat an vera, & cujus conditionis sit. *Caeco.* Obscuro. *Falsa.* Si enim vera extitisset, puer non accessisset. *Falsa* autem, quod alii *ausa*, emendavit Scriverius.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXIX.

DIEI DISTRIBUTIO.

Prima ſalutantes atque altera conterit horæ;
Exercet raucos tertia Cauſſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palaeſtris:
Imperat excelſos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.
Et bonus aetherio laxatur nectare Caeſar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte jocos: greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.

Prima. Prima & ſecunda diei artificialis (nam Romani diei horas a ſole oriente ad ſolem occidentem numerabant, ut prima hora initium eſſet diei, ſexta dimidium, duodecima finis) hora ſalutationibus deſtinatur. *Raucos*. Praecontentione & clamore. *Palaeſtris*. Luctae, armorum diſciplinae, aliis exercitationibus, ad quarum aliquas inungebantur, ut fortiores eſſent. *Toros*. Menſam: nam veſpere convivia parabantur. *Temperat*. Cum conam Domitiano inſtruis. *Ingenti*. Qua ſceptrum ac terrarum imperium moderatur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXX.

LIBRUM AMICO MITTENS FESTINATORUM VENIAM PETIT.

DUm novus est, neque adhuc rasa mihi fróte libellus,
Pagina dum tangi non bene sicca timet,
I puer, & caro perfer leve munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur pumice librum
Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multae, Faustine, liturae
Emendare jocos: una litura potest.

Fronte. Ornamentis nondum paratis. *Spongia.* Spongia cum pumice comitatur librum, ut poliatur pumice si probatur, deleatur spongia si damnatur.

EPIGRAMMA XXXI.

IN ANTONIUM SATURNIUM.

DUm nimium vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te, miser, esse pudet,
Impia Parrhasia movisti bella sub ursa,
Qualia qui Phariae conjugis arma tulit.
Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus,
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?

Digitized by Google

An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis,
Qui tibi collatus, perfide, Caesar, erat.

Nomine. Antoniorum: dum Antonius esse vis hoc, est Domitiani collega, ut ille Antonius diu fuit collega Augusti, non vis esse Saturninus, hoc est privatus Civis. *Parrhasia*. In Germania: ex Parrhasia urbe Arcadiae Calisto Lycaonis filia conversa est in sidus, quod ursa dicitur. *Movisti*. Praefectus militum, & Dux arma in Domitianum. *Phariae*. Cleopatrae Aegypti Reginae. *Exciderat*! Oblitus eras Antonii malum omen, qui ab Augusto interfectus est? Ita & tu a Domitiano, ut etiam Saturninus ab Ahala Servilio.

EPIGRAMMA XXXII.

DE PUERO A STILLICIDIO INTERIMTO.

QUa vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roscida templa subibat,
Decidit hiberno praegravis unda gelu.
Cumque peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non saeva sibi voluit fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si jugulatis aquae?

Vipsanis. Prope domum M. Vipsani Agrippae, quae domus centum columnis ornabatur ad portam capenam, nunc *porta di S. Sebastiano*. *Pluit*. Super eam portam plures fuerunt aquae ductus, & fontes. Hinc Juven. Sat. 3. v. 11. *Substitit ad veteres arcus, madidamque capenam*. *Unda*. Stillicidium.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXIII.

ENDROMIDEM PALESTRAE VESTEM AMICO MITTIT.

Hanc tibi ſequanicae pingnem textricis alumnam,
Quae Lacedaemonium barbara nomen habet
ordida ſed gelido non aſpernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida.
u lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpaſta manu pulverulenta rapis:
lumea ſeu laxi partiris pondera follis;
Sive levem curſu vincere quaeris Atham:
'e madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis ſubita te premat Iris aqua.
'idebis ventos hoc munere tectus & imbres,
Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Sequanicae. In Gallia ad flumen Sequanam exſtructae. *acedaemonium*. Nam endromis graecum nomen fuit Spar- ie primum dictum, deinde in Latio uſurpatum. *Endromis*. Villoſam & craſſam veſtem, Ital. *gabbano, palandrana*, oſt curſum & exercitationem adhibita, ne madefacta cor- ora refrigeſcerent. *Ceroma*. Ex oleo, cera, & terra con- ectum, Ital. *olio, impiaſtro da Lottatori*; ait ergo; ſeu ce- oma in lucta adhibuiſti, ſeu cetera. *Trigona*. Ital. *Palla corda*; trigon dictus, quod luderent diſpoſiti ad modum rianguli. *Atham*. Athletam tum celebrem. *Penetrabile*. Penetrans. *Iris*. Pluvia inexpectata; iris enim ſerenum ollicetur, itaque ſi aqua conſequatur, erit ſubita.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXIV.

SE ALTINI QUIESCERE, ET QUONDAM MORI CUPIT.

Aemula Bajanis Altini littora villis,
Et Phaethontei conscia silva rogi,
Quaeque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus;
Et tu Ledaeo felix Aquileja Timavo,
Hic ubi septenos Cyllarus hausit aquas,
Vos eritis nostrae portus, requiesque senectae,
Si juris fuerint otia nostra sui.

Altini. Urbs haec non procul a Tarvisio & Aquileja nomen servat, non opes, quas Poeta effert. *Silva*. Luci & nemora ad Padum, ubi decidit Phaethon. *Dryadum*. Dryas sociarum pulcherrima sociis nomen fecit, & Fauno nupsit. *Antenoreo*. Faunus nemorum Deus in locis consedit prope Patavium ab Antenore conditum. *Ledaeo*. Castor & Pollux Spartani cum ceteris Argonautis Timavum praetervexere. *Cyllarus*. Equus Castoris, aliis Pollucis. *Septenas*. Virg. 1. Aen. novem ei capita sive ora attribuit, alii etiam.

EPIGRAMMA XXXV.

PROBARI CARMINA QUAE PAUCA SINT, SED LIMATA.

Obstat care Pudens, nostris sua turba libellis:
Lectoremque frequens lassat & implet opus.

Ra-

Digitized by Google

Rara juvant: primis sic major gratia pomis:
Hybernae pretium sic meruere rosae.
Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque de nostris relegas quemcumque libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris erit.

Turba. Multitudo. *Frequens*. Ingens, numerosum: hinc proverbium graecum; *magnus liber magnum malum*. *Rara*. Brevia & pauca. *Hibernae*. Quae sane paucae sunt. *Persius*. Sex tantum Satyrarum auctor. *Marsus*. Magni carminis scriptor, quod Amazonides nuncupavit.

EPIGRAMMA XXXVI.

DE APE ELECTRO INCLUSA.

ET latet, & lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo:
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Latet. Quia vere inclusa est. *Lucet*. Quia inclusa in superficie, & in materia sublucente. *Phaetontide*. In electro, quod ex earum arborum cortice emanat, in quas conversae sunt sorores Phaetontis. *Nectare*. In electro, quod est melli simillimum. *Dignum*. Ob ingeniosos labores in aedificando melle. *Credibile*. Si optio ei data fuisset ubi moreretur, hanc facile elegisset.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXVII.

DE VIPERA ELECTRO INCLUSA.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit,
Fluxit in obſtantem ſuccina gutta feram:
Quae dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulcro,
Vipera ſi tumulo nobiliore jacet.

Flentibus. Humorem exſudantibus. *Heliadum.* Heliades a Parentis, Phaetontiades a fratris nomine. *Succina.* Electrum, quod ſuccus eſt arboris. *In feram.* In viperam occurrentem. *Miratur.* Dum moratur admirans ſe ab electro vinciri. *Riguit.* Incluſa & vincta eſt. *Cleopatra.* Victa ab Auguſto ſe in ſepulcro a ſe exſtructo abdidit, ſed inde exſtracta aſpidis morſu interiit, & Romam adducta eſt.

EPIGRAMMA XXXVIII.

BINAE DAMAE CORNIBUS SESE AGGRESSAE AMBAE INTEREUNT.

Frontibus adverſis molles concurrere damas
Vidimus, & fati ſorte jacere pari.
Spectavere canes praedam, ſtupuitque ſuperbus
Venator, cultro nil ſupereſſe ſuo.

Un-

Digitized by Google

Unde leves animi tanto caluere furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

Pari sorte. Mutuo vulnere. *Praedam*. Quae praeda esse consueverant. *Cultro*. Gladio, hastae.

EPIGRAMMA XII.

DE HORTIS JULII MARTIALIS.

Tuli jugera pauca Martialis
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt.
Lati collibus imminent recessus;
Et plano modico tumore vertex,
Caelo perfruitur sereniore,
Et curvas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsae culmina dedicata villae.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet aestimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcumque jacet sub Urbe frigus;
Fidenas veteres, brevesque Rubras;
Et quod virgineo cruore gaudet
Annae pomiferum nemus Perannae.
Illic Flaminiae, salariaeque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,

Quem

Digitized by Google

Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum:
Cum sit tam prope Milvius, sacrumque
Lapsae per Tiberim volent carinae.
Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat Dominus; tuam putabis:
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios Penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.
Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Praeneste domate, pendulamque
Uni dedite Setiam colono:
Dum, me judice, praeferantur istis
Juli jugera pauca Martialis.

Hesperidum. Hesperi Atlantis fratris filiae amoeniſſimos ditiſſimoſque hortos, in quibus aurea mala, & auriferum nemus habuerunt; his Julii rura praeferuntur. *Recumbunt*. In colle leniter eminente quaſi ſedent. *Tumore*. Altitudine. *Puris aſtris*. Ubi aer & aſtra nullo impedimento cernuntur. *Frigus*. Loca opaca, & ad captandum frigus idonea. *Fidenas*. Oppidum ab Aſcanio in Sabinis conditum, everſum a M. Aemilio, quod ſaepius rebellaſſet: ex ejus ruinis nunc *Caſtel Jubileo*. *Rubras*. Parvum oppidum in Vejenti agro Ital. *Grotta Roſſa*. *Cruento*. Nemus Dianae Aricinae, cui humanae victimae immolabantur, ut in Graecia Dianae Tauricae. *Annae Perennae*. Ejus loci Reginae, quae ob ſeditionem ſibi mortem conſcivit. *Flaminiae*. In via Flaminia & Salaria geſtari conſueverant Nobiles vehiculis delicatioribus ad delicias. *Sacer*. Tiberis quaſi Deus habitus ob Romulum ac Remum in eo amne expoſitos & ſervatos.

Al-

Digitized by Google

Alcinoi. Regis Phaeacum, qui Ulissem hospitio accepit. *Molorchi*. Arcadius senex, qui Herculem ad Nemaeum leonem interficiendum euntem domo accepit, ipsique postea Herculis sacra instituit Molorchaea dicta. Huic sacellum. Domitianus exstruxit prope Herculis fanum. *Centeno*. Centum operis ligone utentibus.

EPIGRAMMA XL.

IN LINUM EX IGNOTIS VITIIS DECOCTOREM.

EGisti vitam semper, Line, municipalem,
Qua nihil omnino vilius esse potest.
Idibus, & raris togula est excussa calendis:
Duxit & aestates synthesis una decem.
Saltus aprum, campus leporem tibi nisit inemtum:
Silva gravis turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite piscis;
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.
Supposita est blando numquam tibi tessera talo:
Alea sed parcae sola fuere nuces.
Dic, ubi sit decies, Mater quod avara reliquit?
Nusquam est, feciisti rem, Line, difficilem.

Municipalem. Rusticam, frugalem, exiguae impensae. *Idibus*. Calendis, nonis, idibus splendidius cenabant, splendi-

Digitized by Google

didiuſque veſtiebant. *Excuſſa*. Mutata, & famalis donata. *Syntheſis*. Mollior ac ditior veſtis. *Argolica*. Poculator inſignis, aut famulus non ex Graecia accitus eſt, quaſi alter Ganimedes. *Ignis*. Nihil incendio abſumtum eſt. *Sirius*. Agri nec nimio aeſtu, nec grandine incenſi ſunt. *Ratis*. Quae a te emtas, aut miſsas merces veheret. *Teſſera*. Teſſera hic eſt tabula, in qua luditur; nihil ludens aut ſpondens perdidiſti, qui ergo decoxiſti? *Decies*. Adde ſeſtertium, quod eſt ad viginti quinque millia aureorum Romanorum.

EPIGRAMMA XLI.

VESTINI LIBERALITATEM COMMENDAT.

CUm gravis extremas Veſtinus duceret horas,
Et jam per ſtygias eſſet iturus aquas,
Ultima volventes oravit penſa ſorores,
Ut traherent parva ſtamina pulla mora:
Jam ſibi defunctus, earis dum vivit amicis,
Moverunt tetricas tam pia vota Deas.
Tum largas partitus opes a luce receſſit:
Seque mori poſt hoc credidit ille ſenem.

Veſtinus. Hic in conſulatu praeter omnem culpam a Nerone mori juſſus, opes ſuas Amicis diſtribuit. *Sorores*. Parcas. *Pulla*. Nigra, atra, & mortem minantia. *Senem*. Factorum & gloriae plenum.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLII.

INIQUA IN VIVENTES POETAS FAMA.

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores;
Praeferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeji quaerimus umbram:
Sic laudant Catuli vilia templa senes.
Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone:
Et sua riserunt saecula Maeonidem:
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen o nostri, ne festinate, libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

Quid? In causa sunt, quod viventium ut virtutes, ita & vitia novimus; veterum solum virtutes advertimus; quod cum vivis aemulatio, invidia, affectio alia semper intercedit, cum mortuis extincta haec sunt. *Umbram.* Porticum ad auram captandam a Pompejo magnifice excitatum. *Catuli.* Senes vetus Capitolium jam collapsum a Q. Catulo Luctatio excitatum praeferunt Capitolio nunc a Domitiano magnificentius instauratum. *Salvo.* Vivo. *Maeonidem.* Homerum. *Rara.* Prope vacua. *Menandro.* Civi suo forte Athenienses, Aegypti certe Reges magnis praemiis saepe invitato plauserunt. *Corinna.* Fictum ab Ovidio nomen. Hic porro queritur seu fingit, non narrat; nam magni illi viri etiam vivi magni aestimati sunt.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLIII.

SE PAUPEREM, SED HONESTUM, ET MULTIS CELEBRATUM ESSE.

SUm, fateor, ſemperque fui, Calliſtrate, pauper;
Sed non obſcurus, nec male notus Eques:
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic eſt.
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaque Niliacae ſervit tibi gleba Syenes:
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuque ſumus: ſed quod ſum non potes eſſe,
Tu quod es, e populo quilibet eſſe poteſt.

Libertinas. Fraude comparatas, aut certe in vitae ignobilitate. *Flagellat*. Arctat, & quaſi verberat preſſas prae multitudine. *Niliacae*. Magna praedia habes vel in Aegypto. *Parma*. Parmenſis ducatus princeps Urbs pecore, lanis etiam tum celebris.

EPIGRAMMA XLIV.

QUOD SAPIENTI DONATUR NON PERIRE.

CAllidus effracta nummos fur auferet arca:
Proſternet patrios impia flamma Lares.

De-

Digitized by Google

)ebitor uſuram pariter ſortemque negabit,
Non reddet ſterilis ſemina jacta ſeges.
)iſpenſatorem fallax ſpoliabit amicus:
Mercibus exſtructas obruet unda rates.
'xtra fortunam eſt quidquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Callidus. Tempus furandi veſtigans & captans. *Impia*. b inimico aut hoſte incenſa. *Uſuram*. Mercedem, quam o ſumma pecuniae acceptae debet, ipſamque ſortem. al. *il frutto e il capitale*, decoctor aut fugitivus non red- it. *Diſpenſatorem*. Dum ficto officio & mollibus verbis ceptus rem tuam diviſeris.

EPIGRAMMA XLV.

IN BENEFICIA PRAEDICANTEM.

QUae mihi praeſtiteris memini ſemperque tenebo:
Cur igitur taceo, Poſtume? tu loqueris:
ncipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: dixerat ipſe mihi.
Non belle quaedam faciunt duo: ſufficit unus
Huic operi: ſi vis, ut loquar; ipſe tace.
rede mihi, quamvis ingentia, Poſtume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Tu loqueris. Tu quae beneficia in me contuliſti ſemper ctas atque auges. *Pereunt*. Nam quemadmodum ſi praedi- at beneficium qui accepit, quaſi beneficium remuneratur, a perdit beneficium ſi praedicat qui contulit. Ter. Andr. ct. 1. ſc. 1. *Iſtaec commemoratio quaſi exprobratio eſt immemo- is beneficii.*

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLVI.

PAUCITATIS AMICORUM CAUSSA.

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Oreſtes
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem:
Nec melior rhombus, turduſve dabatur Oreſti,
Sed par atque eadem cena duobus erat.
Tu Lucrina voras; me paſcit aquoſa Peloris:
Non minus ingenua eſt & mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia veſtit:
Vis te purpureum, Marce, ſagatus amem?
Ut praeſtem Pyladen, aliquis mihi praeſtet Oreſtem.
Hoc non ſit verbis, Marce, ut ameris ama.

Bibebat. Erat ambobus eadem omnino menſa. *Lucrina*. Lectiſſimos atque optimos piſces paratos ex Lucrino, quibus plane abundabat. *Peloris*. Me viliores piſces ex Pelori ſinu in Sicilia educti reficiunt. *Tyros*. Te purpura e Tyro Cadmi Urbe advecta veſtit, vilis me ſagus ex Gallia.

EPIGRAMMA XLVII.

IN CAUSSIDICUM NIMIUM A PROPOSITO ABERRANTEM.

Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto:

Hoc

Digitized by Google

Hoc Judex sibi postulat probari.
Tu Cannas: Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Sillas, Marioſque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic, Poſtume, de tribus capellis.

Cannas. Bellum ac caedem ad Cannas Apuliae vicum ab Annibale Romanis illatam, quemadmodum & cetera hoc loco commemorata perſequeris, ut rem magnam in re parva agere videaris. Haec magna ſunt, ſed non ad rem.

EPIGRAMMA XLVIII.

AMICUM MONET, NE IN BELLO NIMIS AUDEAT.

Marcelline, boni ſoboles ſincera Parentis,
Horrida Parrhaſio quem tegit Urſa jugo:
Ille vetus pro te, patriuſque quod optat amicus
Accipe, & haec memori pectore vota tene.
Cauta ſit ut virtus, nec te temerarius ardor
In medios enſes, ſaevaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes:
Tu potes & patriae miles & eſſe decus.

Parrhaſio. In Dacia, quae in ſeptentriones vergit: militavit enim in Dacis & Getis hic Marcellinus. *Ille vetus.* Martialis Parenti & Filio vetus amicus. *Egentes.* Qui ingenio non vigent, nec ingenio gloriam ſibi poſſunt comparare.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLIX.

MOLLIS VITA OTHONIS FORTI MORTE HONESTATA.

CUm dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
Forsitan & posset vincere mollis Otho:
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare major
Dum moritur, numquid major Othone fuit?

Enyo. Cum belli Dea, seu potius furia, quae civile bellum inter Othonem, Galbam, & Vitellium sibi ordine succedentes, dubia esset de belli exitu. *Mollis Otho*. Otho legitimus Caesar, antea vere effeminatus, Galbae seditioso Civi se opposuit, cum eo certavit, fraude tandem superatus a Vitellio Galbae Duce se ipse interfecit, ne tanta multitudo periret, cum adhuc victoriam integrae copiae, & amici juberent sperare. *Cato*. Qui se Uticae interemit, ne in Caesaris potestatem veniret.

EPIGRAMMA L.

INVITAT DOMITIANUM, UT IN URBEM REDEAT.

SI desiderium, Caesar, populique Patrumque
Respicis, & Latiae gaudia vera togae;

Red-

Digitized by Google

Tedde Deum votis poscentibus: invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum Dominum propius videt ille, tuoque
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

Togae. Omnium Romanorum gentis togatae. *Deum*. Te omitiane. *Hosti*. Germaniae, ubi es. *Laurea*. Arma, ingnia, spolia Dacis & Sarmatis erepta. *Terretur*. Terreir praestantia & potestate, fruitur majestate & clementia.

EPIGRAMMA LI.

DE FAMA REDITUS DOMITIANI IN URBEM,

ECquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias Caesar jam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nunciat omnis:
Credo tibi, verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartae:
Martia laurigera cuspide pila virent.
Cursus, io! magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Caesar, in Urbe sonas.
Sed jam laetitiae quo sit fiducia major,
Sarmaticae laurus nuntius ipse veni.

Hyperboreis. E Sarmatis & Dacis. *Victrices*. Epistolae, uae a Ducibus ad Senatum de victoria aliqua mittebanir, lauro ornabantur, quemadmodum etiam spolia e vitoria in urbem missa.

Digitized by Google

EPIGRAMMA LII.

DE REDITU DOMITIANI EX SARMATIA IN URBEM.

NUnc hilares, ſi quando mihi, nunc ludite, Muſae:
Victor ab Odhryſio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December:
Jam licet ingenti dicere voce, venit.
Felix ſorte tua, poteras non cedere Jano
Gaudia ſi nobis, quae dabit ille, dares.
Feſta coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire jocos, levioraque carmina, Caeſar,
Eſt tibi: ſi luſus ipſe triumphus amat.

Odhryſio. E Thracia, in qua Odhryſa urbs verſus Euxinum. *Poteras.* Quia non adhuc certus erat Domitiani adventus, ideo *poteras, dares*; non *poteris, dabis*. *Jano.* Calendis Januarii ingenti gaudio Jani ſacra celebrabantur. *Coronatus.* In triumphis lauro milites & equi ipſi coronati incedebant. *Convicia.* In triumpho milites Ducum vitia liberius traducere permittebantur, nedum hoſtium perfidiam.

EPIGRAMMA LIII.

CARMEN APOLLINARI AMICO MITTIT.

APollinarem conveni meum ſcazon,
Et ſi vocabit (ne moleſtus accedas)

Hoc

Digitized by Google

Hoc qualecumque, cujus aliqua pars ipse est,
Dabis, hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte viderit tota,
Noto rogabis ut favore sustentet.
Quanto mearum, scis, amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum scazon.

Facetum. Vere; nam lepida fere solum, non severa & magnifica tractat hoc genus carminis. *Tota*. Non contracta & aversa, sed explicata & laeta.

EPIGRAMMA LIV.

LIBELLUM SUUM CAESIO SABINO AMICO MITTIT.

Nosti si bene Caesium, libelle,
Montanae decus Umbriae Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis haec vel occupato:
Instent mille licet premantque curae,
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum tibi nominis paratur!
O quae gloria? quam frequens amator!
Te convivia, te forum sonabit,
Aedes, compita, porticus, tabernae:
Uni mitteris, omnibus legeris.

Turni. Postquam legerit Satiras Turni Vatis ab Arunca tum non fine laude florentis.

Digitized by Google

EPIGRAMMA LV.

EJUSDEM PROPE ARGUMENTI.

SI placidum videas ſemper, Criſpine, Tonantem
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet,
Carmina Parrhaſia ſi noſtra legentur in Aula;
[Namque ſolent ſacra Caeſaris aure frui;]
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude;
Temporibus praeſtat nonnihil ille tuis.
Nec Marſo nimium minor eſt, doctoque Catullo.
Hoc ſatis eſt ipſi, cetera mando Deo.

Tonantem. Domitianum. *Parrhaſia.* Palatina ab Evandro Arcadiae Rege; qui in eo colle conſedit, ita dicta. *Praeſtat.* Hic Poeta eſt ornamentum hujus aetatis. *Marſo.* Poeta tum non ignobilis.

EPIGRAMMA LVI.

DE ADVENTU DOMITIANI IN URBEM.

PErveniſſe tuam jam te ſcit Rhenus in Urbem:
Nam populi voces audit & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Iſtrumque, Getaſque
Laetitiae clamor terruit ipſe novae.

Dum

Digitized by Google

Dum te longa ſacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater miſſos currere ſenſit Equos.
Nullum Roma Ducem, nec te ſic, Caeſar, amavit:
Te quoque jam non plus, ut velit ipſa, poteſt.

Rhenus. Germani, qui Rhenum accolunt. *Voces*. Plauſus, triumphos. *Sarmaticas*. Polonos, Hungaros, alios populos finitimos. *Iſtrum*. Danubium, tranſque illum Getas, ſeu Scythas. *Terruit*. Ne de illis quoque olim triumphes. *Longa*. Repetita, geminata, diu producta. *Quater*. Dum omnes in te unum oculos convertunt, non advertunt equos jam quater e carceribus ad metam immiſſos perveniſſe. *Nec te*. Dum Roma aberas tui deſiderium crevit, itaque plus diligunt nunc cum rediiſti, quam antea cum nuſquam aberas.

EPIGRAMMA LVII.

IN IDEM ARGUMENTUM.

DUm nova Pannonici numeratur gloria belli,
Omnis & ad reducem dum litat ara Jovem;
Dat populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus.
Hos quoque ſecretos memorabis Roma triumphos,
Nec minor iſta tuae laurea pacis erit.
Quod tibi de ſancta credis pietate tuorum,
Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Jovem. Domitianum e Pannonia, ſeu Sarmatia reverſum. *Ditant*. Dum omnibus Domitianus epulum, alia dona ter-

Digitized by Google

tio distribuit ob tertiam victoriam de Sarmatis. *Secretos*. Privatos, sine pompa; cum enim posset justum triumphum agere, tantum lauream Jovi Capitolino intulit. *Suos*. Suorum Civium benevolentiam a praeclare factis Principis profectam.

EPIGRAMMA LVIII.

DE EODEM DOMITIANI IN URBEM ADVENTU.

Hosphore, redde diem, quid gaudia nostra moraris?
Caesare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat: placidi numquid te pigra Bootae
Plaustra vebunt, lento quod nimis igne venis?
Ledaeo poteras abducere Cyllaron astro:
Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus & Aethon
Frena volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidae non cedunt sidera luci,
Et cupit Ausonium luna videre Ducem.
Jam, Caesar, vel nocte veni: stent astra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

Moraris. Nisi enim cito venis gaudia nostra tardantur. *Bootae*. Sidus prope Ursam majorem tribus & viginti stellis fulgens bubulci imaginem praeseferens. *Ledaeo*. Poteras eripere Geminis, in quod sidus conversi sunt Castor & Pollux Ledae filii, tibique ad celeritatem quasi vendicare Cyllarum equum Pollucis astris additum, ut cito nobis diem afferres? *Quid tenes:* Quid solem ipsum ortri cupientem tardas? *Xanthus*. Equi solis. *Memnonis*. Aurora. *Non cedunt*.

Digitized by Google

lucent. Non properant ſidera ut ſe abſcondant, & dent locum ſoli. *Ducem*. Domitianum Italiae ac terrarum Dominum. *Luna*. Ab hominum aſpectu die abſcondita, & in caelo tamen lucens ac videns terras. *Stent*. Quamvis nox ſit, tu eris dies virtutum tuarum ſplendore.

EPIGRAMMA LIX.

DIIS UT PRINCIPIBUS HONORIFICUM ESSE A MULTIS ROGARI.

SI quid forte petam timido gracilique libello,
Improba non fuerit ſi mea charta, dato.
Et ſi non dederis, Caeſar, permitte rogari:
Offendunt numquam thura preceſque Jovem.
Quid fingit ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

Si quid. Quo facilius audiatur & impetret, forte ſe petiturum praefatur. *Gracili*. Brevi, parvo, exiguo. *Improba*. Audax, impudens. *Charta*, Poſtulata per librum inſinuata. *Vultus*. Qui imaginem aut ſtatuam facit. *Qui rogat*. Hic enim rogati divinitatem poteſtatemque confitetur.

EPIGRAMMA LX.

REDITUM EX SICILIA PRISCO TERENTIO GRATULATUR.

PRiſcus ab Aetnaeis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.

De-

Digitized by Google

Defluat & lento splendescat turbida vino
Amphora centeno Consule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida mensis?
Tam justo dabitur quando calere mero?
Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereja Cypros
Luxuriae fiet tam bona caussa meae.

Aetnaeis. E Sicilia, ubi Aetna mons. *Lacteae*. Alba: ab eo more ductum, quo fastos dies albis lapillis, infastos nigris notabant. *Splendescat*. Quae splendida & sublucens fit ea parte, qua vinum emisit: turbida & subobscura est ea parte, qua vinum continet. *Centeno*. Centum annis servata, atque ejus Consulis nomine signata est, quo vino impleta. *Cythereja*. Cum Veneris signum me arbitrum convivii faciet in gratiam tui celebrati. Hor. lib. 2. od. 7. *Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?*

EPIGRAMMA LXI.

DOMITIANI CUM JOVIS CONVIVIO COMPARATUR.

Quanta Gygantei memoratur mensa triumphi,
Quantaque nox Superis omnibus illa fuit;
Qua bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Jovem.
Tanta tuas, Caesar, celebrant convivia laurus;
Exhilarant ipsos gaudia nostra Deos.
Vescitur omnis Eques tecum, populusque, Patresque;
Et capit ambrosias cum Duce Roma dapes,
Gran-

Digitized by Google

Grandia pollicitus, quanto majora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est.

Gygantei. Triumphus post devictos Gygantes: Romanum morem ad Deos transfert. *Cum plebe*. Cum minimarum rerum Numinibus. *Sportula*. Sportula erat certa pecuniae vis loco mensae, cena recta erat ipsa cena, & cum eo celebrata qui invitaverat, ideoque majoris existimationis argumentum, & majus donum.

EPIGRAMMA LXII.

MUNERA EX DONANTIS AMORE PRETIOSA FIERI.

Magna licet toties tribuas, majora daturus
Dona, Ducum victor, victor & ipse tui:
Diligeris populo non propter praemia, Caesar;
Propter te populus praemia, Caesar, amat.

Ducum. Sarmatum ac Dacorum Regum. *Propter te*. Propter amoris tui magnitudinem.

EPIGRAMMA LXIII.

AD STUDIA PAUCOS EXCITARI.

Temporibus nostris aetas cum cedat avorum,
Converit & major cum Duce Roma suo:

In-

Digitized by Google

Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
Nec quemquam tanta bella ſonare tuba:
Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Jugera perdiderat miſerae vicina Cremonae,
Flebat & adductas Tityrus aeger oves:
Riſit Tuſcus Eques paupertatemque malignam
Reſpuit, & celeri juſſit abire fuga.
Accipe divitias, & Vatum maximus eſto,
Tu, licet, & noſtrum, dixit, Alexin ames.
Excidit attonito pinguis Galathea Poetae,
Theſtylis & rubras meſſibus uſta genas.
Protinus Italiam concepit, & arma Virumque,
Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.
Quid Varos, Marſoſque loquar, ditataque Vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, ſi munera Maecenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marſus ero.

Cum Duce. Domitiano, qui Urbem molibus, imperium provinciis auxerat. *Maecenates*. Litteratorum Patroni & remuneratores. *Jugera*. Praedium in diviſione agri Cremonenſis ac Mantuani amiſſum. *Tuſcus Eques*. Maecenas ex etruſcis Regibus natus ſolatus eſt ac ditavit Virgilium. *Galathea*. Dimiſsa ſunt ab eo paſtoralia carmina, & ad heroica converſus eſt. *Uſta genas*. Ruſticae mulieris ſub ſole aſſidue agentis pulchra deſcriptio. *Culicem*. Breve Virgilii carmen ita inſcriptum. *Varos*. Praeclari ea aetate Vates.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXIV.

SILII ITALICI FILIO CONSULATUM GRATULATUR.

Augusto pia thura, victimasque
Pro nostro date Silio Camoenae.
Bis senos jubet en redire fasces
Nato Consule, nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus & una Caesar,
Gaudenti supereſt adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque Consul.
Pompejo dederit licet Senatus,
Et Caesar Genero sacros honores:
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina, Silius frequentes
Mavult sic numerare Consulatus.

Augusto. Domitiano: consecuti enim Caesares ab Augusti virtute & felicitate, aut etiam a Caesaris Caesares & Augusti appellati sunt. *Silio*. Filio, ut in argumento positum est, non Silio Patri, & carminis de bello Punico auctori. *Fasces*. Duodecim Lictores cum virgarum fascibus Consules comitabantur. *Castaliam domum*. Propter Silii Patris carmina. *Tertius Consul*. Tacite a Domitiano petit, ut alteri Silii filio Consulatum largiatur, ut tres Consules ejusdem familiae essent. *Genero*. Marco Vipsanio Agrippae, cui Augustus Juliam filiam in matrimonium tradidit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXV.

AMICUM AD DELICIAS INVITAT.

Liber amicorum dulciſſima cura tuorum;
Liber in aeterna vivere digne roſa:
Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant frondea ſerta caput.
Candida nigreſcant vetulo cryſtalla falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui ſic vel medio finitus vixit in aevo,
Longior huic facta eſt, quam data vita fuit.

Amomo. Unguentis & floreis ſertis: quem morem ſe coronandi in conviviis paſſim audis a Poetis. *Nigreſcant.* Impleantur falerno nigro, quod generoſiſſimum eſt. *In aevo medio.* Qui ad dimidium dierum ſuorum non pervenit.

EPIGRAMMA LXVI.

AD DOMITIANUM PUGILLATUS INSTAURATOREM.

Sanctorum nobis miracula reddis avorum,
Nec pateris, Caeſar, ſaecula cana mori:
Cum veteres Latiae rebus renovantur arenae,
Et pugnet virtus ſimpliciore manu.

Sic

Digitized by Google

Sic priſcis ſervatur bonos te Praeſide templis,
Et caſa tam culto ſub Jove nomen habet.
Sic nova dum condis, revocas, Auguſte, priora;
Debentur quae ſunt, quaeque fuere, tibi.

Miracula. Pugilum, ſeu luctatorum certamina ab avis ſaepius celebrata, proximis vero & noſtris temporibus intermiſſa reſtituis. *Cana*. Antiqua; nec finis veterum temporum inſtituta interire. *Arenae*. Pugilum in amphiteatro pugnas. *Simpliciore*. Non ad internecionem ut in gladiatoribus, ſed ad victoriam incolumi utroque pugile. *Servatur*. Dum alia ad magnificentiam inſtauras, alia rudia relinquis ad ſimplicitatem. Itaque ut Jupiter non minus magnificis quam rudibus templis delectatur, ita Domitianus non minus majora gladiatorum, quam minora pugilum certamina intuetur & probat.

EPIGRAMMA LXVII.

SUOS LIBELLOS DOMITIANO OFFERRI CUPIT.

DAnte tibi turba querulos, Auguſte, libellos,
Nos quoque quod Domino carmina parva damus,
Poſſe Deum rebus pariter, Muſiſque vacare
Scimus; & haec etiam ſerta placere tibi.
Fer Vates, Auguſte, tuos: nos gloria dulcis,
Non tua cura prior, deliciaeque ſumus.
Non quercus te ſola decet, nec laurea Phoebi:
Fiat & ex hedera civica noſtra tibi.

Querulos. Quibus alii ſuas calamitates, alii tolerata mala exponunt. *Deum*. Scimus te, Domitiane poſſe imperii

Digitized by Google

rii administrationi, simulque studiorum amoenitati vacare pro ingenii tui magnitudine & humanitate. *Quercus*. Corona ex quercu & lauru Imperatores donabantur, Poetae ex hedera.

EPIGRAMMA LXVIII.

SE OPES CUPERE, UT SIT MUNIFICUS.

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaque turba rogat?
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager?
Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris?
Nec labris nisi magna meis crystalla ferantur,
Et faciant nigras nostra falerna nives?
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens?
Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas?
Et massyleum virga gubernet equum?
Est nihil ex istis: Superos ac sidera testor.
Ergo quid? ut donem, Pastor, & aedificem.

Setina. Ut vineas multo opere Setiae aedificem, ut inde optimo vino abundem. *Compede*. Ut multos servos Etruscis agris colendis occupem. *Orbes Mauri*. Ut mensas rotundas e marmore Mauritano, aut ebore Africano exstruam. *Lamna*. Ut argenteis atque aureis laminis mensas ipsas exornem. *Nigras*. Nix, dum in ea vinum refrigescit, nigra

fit

Digitized by Google

it ex evaporante, aut refusa vini parte. *Syrus*. Ut ferus, qui fere ex Syria, aut finitima regione alias emitur, nunc ex Canusio Apuliae urbe & lanis divite, laneis vestitus indutus sudet lectica vehenda. *Mula*. Ut jumentis abunem ad comportandas purpuras e Tyro. *Massyleum*. Ut quos Massylorum seu Numidarum virga non frenis regi olitos domi alam ad luxum.

EPIGRAMMA LXIX.

IN TEMPORUM SUORUM IMPROBITATEM QUERENTEM.

Dixerat o mores! O tempora! Tullius olim,
Sacrilegum struere cum Catilina nefas:
Cum Gener, atque Socer diris concurreret armis,
Maestaque civili caede maderet humus.
Cur nunc, o moret! cur nunc, o tempora! dicis?
Quod tibi non placeat, Ceciliane, quid est?
Nulla Ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, laetitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent,
Sed faciunt mores, Caeciliane, tui.

Nefas. Patriae exitium. *Cum Gener*. Cum Pompejus, ui Juliam in matrimonium duxerat, & Caesar civile belum susceptissent. *Ducum*. Nulla regnandi, aut in alios saeiendi cupiditas principes civitatis exagitat. *Sordent*. Dum a traducis & damnas. *Mores*. Quibus nec alios nec te ateris.

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXX.

IN SUTOREM SPLENDIDE VIVENTEM.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum:
Praenestina tenes defuncti rura Patroni,
In quibus, indignor, si tibi cella fuit.
At me litterulas stulti docuere Parentes:
Quid cum Grammaticis, Rhetoribusque mihi?
Frange leves calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

Dentibus. Elegans sutoris corium dentibus calceis aptantis descriptio. *Rura.* Sutoris opera eo pervenisti, ut villam emeris, in qua olim nec ut famulus acceptus esset. *Quid?* Indignatur vili opera ad tantas opes quemquam pervenire, ad quas egregiis studiis non pervenitur.

EPIGRAMMA LXXI.

DE APOLLINARIS VILLA IN LITTORE FORMIANO.

O Temperatae dulce Formiae littus,
Vos cum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis praefert.

Nos

Digitized by Google

Non ille ſanctae dulce Tibur uxoris,
Nec Tuſculanos Algidoſve ſeceſſus,
Praeneſte nec ſic, Antiumve miratur.
Non blanda Circe, Dardaniſve Cajeta
Deſiderantur, nec Marica, nec Lyris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena,
Sic ſumma leni ſtringitur Thetis vento,
Nec languet aequor; viva ſed quies ponti
Pictam faſelon adjuvante fert aura:
Sicut puellae non amantis aeſtatem
Mota ſalubre purpura venit frigus.
Nec ſeta longe quaerit in mari praedam,
Sed a cubili lectuloque jactatam
Spectatus alte lineam trahit piſcis:
Si quando Nereus ſentit Aeoli regnum,
Ridet procellas tuta de ſuo menſa.
Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas;
Natat ad Magiſtrum delicata Muraena.
Nomenculator mugilem citat notum, &
Adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.
Frui ſed iſtis quando Roma permittis?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotioſis rebus urbis haerenti?
O janitores, villicique felices!
Dominis parantur iſta: ſerviunt vobis.

Formiae. Urbs Campaniae inter Cajetam & Minturnas ob caeli clementiam & ſoli fertilitatem villis frequens. *Oppidum Martis*. Romam: *Tibur*. Optimae uxoris ſuae natale ſolum aut villam. *Algidos*. Villas in Algido, nunc *Rocca del Papa*. *Circe*. Circaeum etiam dicitur, & Amoenis villis abundans: Ital. *Monte Circello*. *Dardanis*. A Cajeta

Digitized by Google

Aeneae nutrice appellata. *Marica*. Locus ita dictus a Marica Fauni filia. *Liris*. Fluvius Latium a Samnio separans, *Garigliano*. *Salmacis*. Salmaces Nympha fuit; ex ea fons molliſſimus nuncupatus, qui viros in feminas convertere eſt dictus. *Aeſtatem*. Aeſtatis aeſtum. *Purpura*. Flabellum purpura ornatum, agitatumque frigus concilians. *Seta*. Calamus, ex eoque eſca e ſeta pendens ad invitandos piſces. *Lineam*. Eſcam. *Nereus*. Si mare a ventis turbatur, menſa piſcibus non caret, eos quippe in piſcinis habet paratos. *Lupos*. Piſces multi ferarum nomen & imaginem ſervant. *Vernas*. In piſcinis ſervatos, ut domi ſervos. *Magiſtrum*. Callidum piſcatorem. *Murena*. Quod muro aut petrae haerere ſit ſolita, Ital. *Lampreda*. *Nomenculator*. Qui piſces omnes blandiendo nominat, ut oves paſtor. *Mulli*. In ſummo pretio habiti, *Triglie*. *Haerenti*. Vere & vehementer: qui enim urbi ſe tradit, plane haeret illius perſonis, negotiis, tempori, horis, conſuetudini.

EPIGRAMMA LXXII.

SULPICIAM POETRIAM LAUDAT.

Omnes Sulpiciam legant puellae,
Uni quae cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptae.
Non haec Colchidos aſſerit furorem,
Diri prandia nec refert Thyeſtae,
Scyllam, Biblida nec fuiſſe credit:
Sed caſtos docet & pios amores,
Luſus, delicias, facetiaſque.

Cu-

Digitized by Google

Cujus carmina qui bene aeſtimarit,
Nullam dixerit eſſe nequiorem,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.
Tales Aegeriae jocos fuiſſe
Udo crediderim Numae ſub antro.
Hac condiſcipula vel hac magiſtra
Eſſes doctior, & pudica Sappho.
Sed tecum pariter ſimulque viſam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Fruſtra: namque ea nec Tonantis Uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto ſibi viveret Caleno.

Colchidos. Medeae amores, & perfidiam. *Thyeſtae*. Cui Atreus frater ob vim uxori ſuae Clitemneſtrae illatam ejus liberos obtruncatos tradidit epulandos. *Scyllam*. Quae Parentem prodidit, ut hoſti nuberet. *Biblida*. Quae perdite fratrem Caunum amavit, licet ſemper repulſa. *Nequiorem*. Perſpicacem & callidam ad vitanda noxia. *Aegeriae*. Quae leges Numae Pompilio dictavit. *Sappho*. Amorum & zelotypiae in reliquas puellas ardore celebris non minus quam lepidiſſimis ſuis carminibus. *Phaon*. Adoleſcens Lesbius a Sapphone fruſtra amatus.

EPIGRAMMA LXXIII.

MODICO SUMTU HUMILI IN LOCO VITAM ALI.

Saepe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,
Miraris Latia factus in Urbe ſenex.

Digitized by Google

Auriferumque Tagum ſitiam, patriumque Salonem,
Et repetam ſaturae ſordida rura caſae.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Paſcitur hic, ibi paſcit ager, tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretioſa fames, conturbatorque macellus:
Menſa ibi divitiis ruris operta ſui.
Quattuor hic aeſtate togae pluréſve teruntur:
Autumnis ibi me quattuor una tegit.
I, cole nunc Reges: quidquid non praeſtat amicus,
Cum praeſtare tibi poſſit, Aviſe, locus.

Remotas. Hiſpanas, apud quas natus ſum, eaſque ſaepe laudo, dum interea jam Romae ſenui. *Auriferum*. Aureas arenas ducens. *Salonem*. Apud Bilbilim Martialis patriam fluentem, Incolis *lo Xalone*. *Luxuriantur*. Quaſi ad luxum ſunt res modicae. *Tepet*. Maxima impenſa in paucis lignis facta cauſſa eſt, ut pauca ligna foco imponantur, ideo focus tepet, non calefacit. *Pretioſa*. Magno pretio opus eſt, ut ſaturetur. *Conturbator*. Quod ingenti pecunia ad res modicas emendas opus eſt, & quod multa & optima exponens invitat ad emendum, deinde conturbat abſumta omni pecunia. *Quattuor*. Cum ſaepius adhibenda & renovanda ſit. *Reges*. Principes Civitatis, qui aſſidue coli volunt, raro remunerantur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXIX.

AD CIVES BILBILITANOS DE REDITU SUO, AC DE SUIS CARMINIBUS.

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidus quem Salo cingit equis;
Aequid laeta juvat vestri vos gloria Vatis?
Nam decus, & nomen, famaque vestra sumus.
Hec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.
Quattuor accessit trigesima messibus aestas,
Ut sine me Cereri rustica liba datis.
Moenia dum colimus dominae pulcherrima Romae,
Mutavere meas Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente venimus:
Aspera si geritis corda, redire licet.

Augusta. Hoc nomine a Tiberio decorata. Bilbilis Poetae patria, quae Ital. *Baubola* dicitur. *Tenui Catullo*. Non magnifico, sed eleganti, venustissimo, & aureo: quare auci, si fani sint gustus in litteris, hoc sentient quod hic sserit Martialis. *Aestas*. Triginta quatuor anni sunt, quius a patria absum, cum sacra facitis Cereri pro frugius. *Comas*. Imberbis prope veni, nunc senui. *Excipitis*. i me ad vos redeuntem bono animo excipitis, venio: sin liter sensero, e via etiam Romam redeo.

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXV.

IN LAUDEM NERVAE TRAJANI.

Tanta tibi est recti reverentia, Caesar, & aequi
Quanta Numae fuerat: sed Numa pauper erat,
Ardua res haec est, opibus non tradere mores;
Et cum tot Craesos viceris, esse Numam.

Recti. Sanctimoniae se moderantis. *Aequi*. Justitiae in subjectos populos, singulisque sua tribuentis. *Opibus*. Nec facile, nec frequens est, divitiarum copia non superbire, ceteros non despicere, atterere, & vexare; sed hoc magnae virtutis est.

EPIGRAMMA LXXVI.

IN IDEM ARGUMENTUM.

Si redeant veteres ingentia nomina, Patres;
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te volet invictus pro libertate Camillus:
Aurum Fabricius te tribuente volet.
Te Duce gaudebit Brutus: tibi Silla cruentus
Imperium tradet, cum positurus erit.
Et te privato cum Caesare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.

Ipse

Digitized by Google

Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris,
Si Cato reddatur Caesarianus erit.

Camillus. Qui belli & domi clarus ob Civium suorum invidiam in exsilium actus est, hic mallet te Principem quam libertatem multorum fraudi in ea expositus. *Fabricius*. Qui aurum malo consilio a Pyrrho Rege & a Samnitibus oblatum repulit a te acciperet, quod sincero animo dares, *Brutus*. Qui Tarquinios ob superbiam, caedes, alia scelera ex Urbe ejecit, te pium Principem ferret. *Silla*. Qui centum hominum millia, nonaginta Senatores, quindecim Consulares bello interfecit, licet deinceps se imperio & dictatura addicarit. *Magnus*. Pompejus qui potentem Caesarem non tulit. *Crassus*. Adeo dives, ut proprio sumtu bellum cum Parthis gesserit. *Cato*. Qui se interfecit, ne Caesaris dominatum videret, neve in ejus potestatem veniret.

EPIGRAMMA LXXVII.

CEREALEM AD CENAM INVITAT QUAE EI DATURUS SIT COMMEMORANS.

Cenabis belle, Juli Cerealis, apud me:
Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare: lavabimur una:
Scis quam sint Stephani balnea juncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, & porris fila resecta suis:
Mox vetus & tenui major cordilla lacerto;
Sed quam cum rutae frondibus ova tegant.

Al-

Digitized by Google

Altera non deerunt tenui versata favilla,
Et Velabrensi massa recepta foco.
Et quae Picenum senserunt frigus olivae;
Haec satis in gustu, Cetera nosse cupis?
Mentiar ut venias: pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis aves.
Quae nec stella solet rara nisi ponere cena.
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gygantes,
Rura vel aeterno proxima Virgilio.

Melior. Si nemo ditior, vel splendidior te invitavit, veni. *Octava*. Hora octava, hoc est vigesima ad morem Italiae, aestate, nona hieme ante cenam lavabantur, ait Farnabius. *Stephani*. Divites sua domi habebant balnea, pauperes ad publica convivas suos adducebant. *Movendo*. Lactuca, & porrorum fila invitandae & conciliandae fami, atque etiam lubricando ventri. *Cordilla*. Ita ei nomen, cum hic piscis tener est, Ital. *palamita*; cum adolevit thynnus dicitur. *Lacertus*. Ita dictus hic piscis quod lacerti similitudinem praefefert. *Cum rutae*. Operient & condient cordillam ova & rutae folia. *Altera*. Alia ova. *Velabrensi*. Caseus Velabrensis Romae ex vico, qui nunc *S. Giorgio in Velabro* dicitur, fumo & foco induratus nomen accepit. *Cortis*. Gallinas. *Paludis*. Anates. *Nil recitabo*. Meis legendis carminibus tibi molestus non ero. *Gygantes*. Carmen ita ab eo inscriptum. *Rura*. Georgica a te scripta Virgilii simillima.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXVIII.

EX HISPANIA LIBRUM SUUM ROMAM MITTIT.

AD populos mitti qui nuper ab urbe ſolebas,
Ibis, io, Romam nunc peregrine liber.
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis,
Dat patrios Manes quae mihi terra potens.
Non tamen hoſpes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus una Remi.
Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio ſunt ubi templa choro.
Vel, ſi malueris, prima gradiere Suburra;
Atria ſunt illic Conſulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Jantheae Stella petitor aquae:
Fons ibi Caſtalius vitreo torrente ſuperbit,
Unde novem Dominas ſaepe bibiſſe ferunt.
Ille dabit populo, Patribuſque, Equitique legendum,
Nec nimium ſiccis perleget ipſe genis.
Quid titulum poſcis? verſus duo, treſve legantur;
Clamabunt omnes te, liber, eſſe meum.

De gente. E patria mea Bilbili (huc enim Poeta ſe contulerat) ubi Tagus & Salo. *Dat manes.* Ubi ſepulti ſunt Parentes mei. *Tot fratres.* Nam Roma habet tot alios meos libros. *Novi templi.* Apollini & Muſis ab Auguſto in Palatio excitatum, ubi Poetarum opera legebantur, & optima reponebantur. *Reddita.* Reſtituta a Nerva. *Choro Pierio.*

Digitized by Google

rio. Musis & Poetis. *Consulis*. Stellae amicissimi mei, qui Consul est. *Laurigeros*. Quia Poeta est. *Jantheae*. Fontis purissimi, in quem uxoris Stellae gratia Janthis Nympha conversa dicitur. *Castalius*. Propter Stellam Poetam. *Non siccis*. Obortis lacrimis prae desiderio mei. *Titulum*. Martialis nomen in fronte libri.

EPIGRAMMA LXXIX.

NERVAM TRAJANUM COMMENDAT.

Contigit Ausoniae procerum mitissimus aulae
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, bilaris clementia, cauta potestas
Jam redeunt: longi terga dedere metus.
Hoc populi gentesque tuae pia Roma precantur:
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, praestare, breves extendere census,
Et dare, quae faciles vix tribuere Dei,
Nunc licet, & fas est: sed tu sub Principe duro,
Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Helicone. Accurate vacare versibus sub Principe, qui studiis favet. *Macte*. Sis magis auctus animo nunc cum Caesar es, qualem animum tui similem pauci habent. *Numa*. Omni virtute praestans. *Hilaris*. Si ad ceteras virtutes hilaritatem quamdam conjunxisset. *Sub duro*. Tu, Nerva, etiam sub Nerone eras bonus, animi tui, non Principis mores secutus.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXX.

EJUSDEM ARGUMENTI.

TErrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum,
Trajani modo laeta cum futuros
Tot per ſecula computaret annos,
Et fortem, juvenemque, Martiumque
In tanto Duce militem videret,
Dixit praeſide glorioſa tali:
Parthorum Proceres, Duceſque Serum,
Thraces, Sauromatae, Getae, Britanni,
Poſſum oſtendere Caeſarem: venite.

In Duce. In poteſtate Imperatoris privati militis erga omnes moderationem. *Caeſarem*. Clementiae ſingularis in ſubjectos, fortitudinis prope divinae in ſuperbos. Suſpicite ergo clementem, pacem a forti precamini.

EPIGRAMMA LXXXI.

TRAJANO PLAUSUS, CUM CORNELIUS PALMA IN HISPANIAM PRAETOR MITTERETUR.

PAlma regit noſtros, mitiſſime Caeſar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.

Er-

Digitized by Google

Ergo agimus lacti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

Palma. Cornelius Palma Trajano acceptissimus, qui olim Syriae, nunc Hispaniae praeerat. *Tuos*. Praefectum tuis moribus praeditum.

EPIGRAMMA LXXXII.

AD MEDIOCRITATEM CONVITUS JULIUM MARTIALEM INVITAT.

Triginta mihi quatuorque menses
Tecum, si memini, fuere Juli,
Quorum dulcia mista sunt amaris:
Sed jucunda tamen fuere plura:
Et si calculus omnis huc & illuc
Diversus bicolorque digeratur;
Vincit candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quaedam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Messes. Triginta quatuor anni, quorum partim felices, partim miseros transegimus. *Si calculus*. Si computetur numerus albis & nigris lapillis, dies fausti superabunt infaustos. *Nulli*. Nimis enim dolemus, cum a carissimis segregamur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXXIII.

IN AELIAM TUSSIENTEM.

SI memini, fuerant tibi quattuor, Aelia, dentes.
Exſpuit una duos tuſſis, & una duos.
Jam ſecura potes totis tuſſire diebus;
Nil iſtic, quod agat, tertia tuſsis habet.

Dentes. Si veri erant dentes, ac vere a vehementi tuſſi repetita jam labantes expulſi, lepidum eſt: ſi autem ficti, facile peccat; nam ficti, & per tuſſim expulſi, iterum aptari poterant.

EPIGRAMMA LXXXIV.

IN PLAGIARIUM FIDENTINUM.

FAma refert noſtros te, Fidentina, libellos
Non aliter populo quam recitare tuos.
Si mea vis dici; gratis tibi carmina mittam:
Si dici tua vis; haec eme, ne mea ſint.

Tuos. Dictitas & jactas tamquam tua ſint carmina; quae vere alterius ſunt. *Mittam.* Nam quaſi hac mercede emam mea carmina, ut per te, qui homines multos adis, in multorum notitiam veniant.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXXV.

IN GELLIAM, QUAE PARENTEM PLORABAT, CUM VIDERETUR.

A Miſsum non flet, cum ſola eſt Gellia, Patrem:
Si quis adeſt, juſſae proſiliunt lacrimae.
Non luget, quiſquis laudari, Gellia, quaerit:
Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet.

Quaerit laudari. Qui ex lacrimis pius, gratus, memor velit judicari, non dolet, ſed laudem quaerit.

EPIGRAMMA LXXXVI.

IN LIVIDUM.

QUi ducis vultus, & non legis iſta libenter;
Omnibus invideas, Livide; nemo tibi.

Ducis. Contrahis ſupercilium ob triſtitiam ex invidia ortam. *Omnibus invideas.* Omnes melius te ſcribant. *Nemo ſibi.* Tu omnium peſſimus ſis Poeta, ut nemini eſſe poſſis invidiae argumentum.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXXVII.

MALE CENANTI PRETIOSA BALNEA NON CONVENIRE.

DAt Bajana mihi quadrantes ſportula centum,
Inter delicias quid facit iſta fames?
Redde Lupi nobis, tenebroſaque balnea Grilli:
Tam male cum cenem, cur bene, Flacce, lavor?

Sportula. Pecunia, quae in cenam, & Bajani balnei uſum, quod in primis nobile fuit, mihi a potenti Domino miſſa eſt. *Iſta fames*. Tam modica pecunia, quae ad ſatiandam famem non ſufficit. *Lupi & Grilli*. Homines, qui vulgaria, & parvae impenſae balnea commodabant.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

IN HOMINEM NIHIL AGENDO MAGNOPERE OCCUPATUM.

SEmper agis cauſſas, & res agis, Attale, ſemper:
Eſt, non eſt, quod agas, Attale, ſemper agis.
Si res, & cauſſae deſunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne quod agas deſit, agas animam.

Agis mulas. Mulas onera portantes agis; vel aliud, non facile divinandum vitium carpit. *Agas animam*. Morere.

Digitized by Google

EPIGRAMMA LXXXIX.

IN CAUSSIDICUM NON NISI IN ALIORUM CLAMORE DICENTEM.

CUm clamant omnes, loqueris tu, Naevole, tantum,
Et te Patronum, Caussidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes; Naevole, dic aliquid.

Caussidicum. Disertì atque eloquentis Patroni partes implere te existimas, si clames cum ceteri clamant.

EPIGRAMMA XC.

IN DIFFICILEM SOLUTOREM.

DImidium donare Lino quam credere totum
Qui mavult: mavult perdere dimidium.

Dimidium. Illius quod rogat. *Quam totum.* Quod rogat, & se restituturum pollicetur. *Perdere.* Etenim nihil deinde restituit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XCI.

IN AVARUM LITIGATOREM.

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat;
Sed nil Patrono porrigit, haec chiragra est.

Chiragra. Podagra pedes, chiragra manus infestat atque adstringit.

EPIGRAMMA XCII.

DE CATELLA PUBLII VIVA ET PICTA.

Issa est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbae.
Issa est carior Inditis lapillis.
Issa est deliciae catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis;
Sentit tristitiamque, gaudiumque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur,
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit ulla;
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi monet, & rogat levari.

Digitized by Google

Castae tantus inest pudor catellae.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella.
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec Issa.
Issam denique pone cum tabella,
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

Issa. Ita vocata Publii catella. *Nequior.* Blandior, ingeniosior. *Catulli.* Quem Catullus deflevit mortuum. *Indicis.* Gemmis, quae ex India afferuntur. *Sentit.* Affectionem Domini ita intuetur, excipit, atque exprimit praegestiens, laetata, maerens, ut eas in se pati videatur. *Suspiria.* Respirationes, & ventris crepitus. *Desiderio coacta.* Modeste, & pulchre omnia. *Ne lux suprema.* Ut mortuae diu superstit memoria, & mortua etiam facilius memoretur, cum pingi jussit.

EPIGRAMMA XCIII.

IN EUM CUI ANIMA OLEBAT.

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia mirrham,
Quodque tibi est semper non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quod ole, bene, Postume, semper:
Postume, non bene olet, qui bene semper olet.

Olent mirrham. Remedium eorum, quibus spiritus olet, ac tetrum odorem emittat, unguentis, acribusque odoribus ora, & se tueri, ne audiatur morbus. *Non bene olet.* Nam su-

Digitized by Google

ſuſpicionem ſemper, certum ſaepe indicium mali odoris ſui praebet; ac praeterea aſſiduus odor, licet ſincerus ſit, moleſtus omnino eſt.

EPIGRAMMA XCIV.

IN INANEM AUCTORITATIS, ET OPUM OSTENTATOREM.

Capto tuam, pudet heu, ſed capto, Maxime, cenam:
Tu captas aliam; jam ſumus ergo pares:
Mane ſalutatum venio: tu diceris ipſe
Ante ſalutatum; jam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo Regis;
Tu comes alterius; jam ſumus ergo pares.
Eſſe ſat eſt ſervum: jam nolo vicarius eſſe.
Qui Rex eſt, Regem, Maxime, non habeat.

Capto. Officiis, omnique obſequii genere te proſequor, ut ad cenam me voces. Tenues enim homines principes civitatis ſurgentes ſalutabant, egredientes comitabantur, omni officio ubique colebant, ut ad cenam invitarentur, aut cena iis mitteretur. *Tu captas aliam*. Cum non ſis dives, qualem te jactitas, & videri vis. *Anteambulo*. Qui Patronum divitem, & potentem praecedit. *Regis*. Patroni divitis, ac potentis, qui quaſi Rex quidam videretur. *Eſſe ſat eſt ſervum*. Satis ſuperque eſt, ſi ſim ſervus unius vere Domini, divitis, & potentis, nolo ei eſſe ſervus, qui & ipſe alteri ſervus ſit. *Non habeat Regem*. Non indigeat alterius opis, qui opibus ſuis alios adjuvare videri velit.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XCV.

IN EUM, QUI CONSILIA DABAT, UT NEGARET POSTULATA.

MUtua viginti ſeſtertia forte rogabam;
Quae vel donanti non grave munus erat.
Quippe rogabatur fiduſque vetuſque ſodalis,
Et cujus laxas arca flagellat opes.
Is mihi, dives eris, ſi cauſſas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai, non peto conſilium.

Mutua. Ut eamdem ſummam deinde reſtituerem. *Viginti*. Sunt quingenti nummi aurei. *Flagellat*. Adeo plena eſt, ut vix eas arca contineat, niſi aggerentur.

EPIGRAMMA XCVI.

IN TIMIDUM PATRONUM.

LIs mihi cum Balbo eſt; tu Balbum offendere non vis,
Pontice: cum Licino eſt; hic quoque magnus homo eſt.
Vexat ſaepe meum Patrobas confinis agellum;
Contra libertum Caeſaris ire times.
Abnegat, & retinet noſtrum Laronia ſervum;
Reſpondes: orba eſt, dives, anus, vidua.

Non

Digitized by Google

Non bene, crede mihi, ſervo ſervitur amico:
Sit liber, Dominus qui volet eſſe meus.

Magnus. Potens, dives. *Vexat agellum*. Agri ſui fines extendendo, mei autem contrahendo. *Dives*. Non vis eam turbare, heredem te relicturam aut tibi nupturam ſperans. *Abnegat*. Negat meum eſſe ſervum, qui vere meus eſt; nec vult reſtituere quem debet. *Sit liber*. Sit nulli obnoxius, & amicum tueatur cum aequum eſt. *Dominus*. Patronus, & qui ſe mihi opitulaturum polliceatur.

EPIGRAMMA XCVII.

IN JACTANTEM AMICORUM OMNIA ESSE COMMUNIA.

Candide, κοινὰ φίλων, haec ſũt tua, Cãdide, πάντα;
Quae tu magniloquus nocte, dieque ſonas?
Te Lacedaemonio velat toga lota Galeſo,
Vel quam ſepoſito de grege Parma dedit:
At me quae paſſa eſt furioſi cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima ſuam.
Miſit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina noſtra tribus.
Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes:
Fulcitur teſta fagina menſa mihi.
Immodici tibi flava tegunt chryſendeta mulli:
Concolor in noſtra cammare lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinaedo:
At mihi ſuccurrit pro Ganymede manus.

Digitized by Google

Ex opibus tantis veteri fidoque ſodali
Das nihil, & dicis, Candide, πάντα φίλων?

Κοινὰ φίλων πάντα. Hoc eſt: *omnia amicorum ſunt communia* inter eos. *Galeſo*. Flavius Ital. *Galaſo*: in Calabria, in ſinum Tarentinum influens, quae urbs a Spartanis vel condita, vel inſtaurata eſt. *Parma*. Parmenſes lanae in magno pretio habitae. *Cornua tauri*. Mihi eſt veſtis vilis & lacera, qualis eſt veſtis, quae tauris in ſpectaculis objicitur, ut in eas irrumpant. *Pila noluerit*. Mea veſtis ad terrendas aves de ficu ſuſpendi poſſet, & ficta illa arbor, aut pila in compitis erecta nollet ſua dici, adeo vilis eſt. *Agenoreo Cadmo*. Tibi ſunt lacernae e purpura miſſae a Tyro regnata Cadmo Agenoris filio. *Coccina noſtra*. Veſtem, quae mihi eſt pretioſiſſima, ut aliis vera coccina. *Tu ſuſpendis*. Tu menſas e pretioſiſſimo marmore Pario & Africano exſtructas ebore Indico ſuſtines atque ornas. *Fagina*. Mea menſa eſt fagina, ac rudi & vili lapide ſuſtentata. *Mulli immodici*. Mulli Ital. *triglie*, & *barbi*, quod profuſam barbam praeferant, in magno pretio habiti, ob eorum mollem ſuavitatem. *Chryſendeta*. Vaſa & lances auro illigatos, Ital. *Piatti d'oro legati in gemme*. *Cammare rubes*. Cammarus, *gambero*, cum coquitur rubeus fit ex ambuſta extima ejus quaſi cute; hoc voluit ab oculos ponere. *Gynaedo Iliaco*. Ganymedi rapto ab Jove ex Ilio ſuae menſae miniſtraturo. *Mihi manus*. Mihi ipſe mea manu miniſtro.

EPIGRAMMA XCVIII.

IN IMPORTUNUM SALUTATOREM.

Occurris quocumque loco mihi, Poſtume, clamas
Protinus & prima eſt haec tua vox: quid agis?
Hoc,

Digitized by Google

Hoc si me decies una conveneris hora,
Dicis: habes, puto, tu, Postume, nil quod agas.

Nil quod agas. Otiosus es, nihil negotii habes quod expediendum tibi sit.

EPIGRAMMA XCIX.

ALIENAM CENAM CAPTANTI, ET INVITO SE EAM ADIRE JACTITANTI ILLUDIT.

INvitum cenare foris te, Classice, dicis.
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoque ad cenam gaudebat Apicius ire;
Cum cenaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen invitus vadis, cur, Classice, vadis?
Cogor, ais: verum est; cogitur & Selius.
En rogat ad cenam Melior te, Classice, rectam.
Grandia verba ubi sunt? Si vir es, ecce, nega.

Apicius. Dives, tamen ad aliena prandia irrumpens. *Et Selius.* Et hic alienam cenam captans. *En rogat.* En, inquit, tempus; nega te posse ire, & cenam recusa; sed non facies. *Ad rectam.* Cena recta est propria, & vera cena, non loco cenae missa pecunia, aut cibi; quos enim vere amicos, & dignos existimabant ad cenam secum ducebant, quos autem officiosos & pauperes, iis sportulam mittebant.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA C.

IN MALUM CONVITATOREM.

Unguentum, fateor, bonum dediſti
Convivis, here, ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt bene olere, & eſurire.
Qui non cenat, at ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Unguentum. Ante cenam balneis, & unguentis utebantur. *Here.* Convivii Dominus, ſive apparator. *Scidiſti.* Nihil, aut certe parum pro praecedenti pompa comedendum concidiſti ac diſtribuiſti. *Ungitur.* Mortuos unguentis ungi conſueverant.

EPIGRAMMA CI.

IN CERDONEM.

Das gladiatores, ſutorum Regule, cerdo,
Quodque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.
Ebrius es; nec enim faceres id ſobrius unquam,
Ut velles corio ludere, cerdo, tuo.
Luſiſti: ſatis eſt, ſed te, mihi crede, memento
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

Das gladiatores. Exhibes populo gladiatorum ſpectacula, quod principum ac divitum eſt. *Sutorum Regule.* Parve Rex

Digitized by Google

Rex: id enim te tua pecunia, ac tua superbia facit. *Rapisica*. Quod tua arte lucraris, profundis in his spectaculis. *Ludere tuo corio*. Vetus adagium est, *de alieno corio liberalis, & in alieno corio ludere*, tu ludis in tuo, tu in tuo corio liberalis es.

EPIGRAMMA CII.

DE HERMETE.

Hermes martia saeculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes & gladiator & magister;
Hermes turba sui tremorque ludi;
Hermes, quem timet Helius, sed unum;
Hermes cui cadit Advolans, seduni;
Hermes vincere nec ferire doctus;
Hermes suppositius sibi ipsi;
Hermes divitiae locariorum;
Hermes cura laborque ludiarum;
Hermes belligera superbus hasta;
Hermes aequoreo minax tridente,
Hermes classide languida timendus;
Hermes gloria Martis universi;
Hermes omnia solus, & ter unus.

Martia. Peritissimus in armis, quae peritia est hujus bellicae aetatis voluptas. *Gladiator & magister*. Torquendorum armorum ipse scientissimus, in eaque re aliorum magister. *Turba ludi*. Non instar unius, sed multorum unus, ideo-

Digitized by Google

ideoque metus omnium. *Helius*, *Advolans*. Gladiatorum praecellentium nomina. *Vincere nec ferire*. Adeo peritus, ut adversarium dejiceret vulneribus parcens. *Suppositius sibi sui*. Dejecto adversario non fatigatus, nec indigens, ut alter ei sufficiatur, nec enim aeque bonus ei sufficeretur. *Locariorum*. Qui domum populo locant ad spectacula, ut quaestum faciant. *Ludiarum*. Gladiatorum uxores, aut certo gladiatori faventes. *Aequoreo tridente*. Cum fuscina & tridente, qui Neptuni est sceptrum, gladiatores pugnabant. *Languida*. Lente aptata, ut qui ea non indigeret. *Ter unus*. Respicit ad nomen Trimegistri, qui Hermes, seu ter maximus dictus est Philosophus, Rex, Sacerdos.

EPIGRAMMA CIII.

JOCUS IN EOS, QUI EDUNT LEPORES.

SI quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:
Edisti numquam, Gellia, tu leporem.

Formosus. Tota epigrammatis gratia in ea vulgi opinione est posita, quam affert Plin. Nat. Hist. lib. 28. cap. 19. *qua qui lepores edant formosos in dies sequentes fieri*. *Edisti numquam*. Non enim es pulchra.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA CIV.

CUI TRADENDUS PUER INSTITUENDUS.

CUi tradas, Lupe, Filium Magiſtro,
Quaeris ſolicitus diu rogaſque.
Devites; moneo: nihil ſit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Famae Tutilium ſuae relinquat.
Si verſus facit, abdices Poetam.
Artes diſcere vult pecuniosas?
Fac diſcat cytharaedus, aut choraules.
Si duri puer ingenii videtur,
Praeconem facias vel architectum.

Tutilium. Celebrem Martialis aetate Doctorem. *Abdices Poetam*. Ab eo ſtudio, ut minime quaeſtuoſo, averte; ſi pergit, exhereda. *Fac diſcat*. Fac ut excellens fiat. *Cytharaedus*. Qui cytharam pulſat, dux potius quam ſocius. *Choraules*. Qui ceteros dirigit *Maeſtro di Cappella*. *Praeconem*. Ipſe enim etiam quaeſtuoſe agit. *Architectum*. Qui agris aeſtimandis, humilibuſque aedificiis, ſatis lucretur, nec plurimum ingenii poſtulatur ad id.

EPIGRAMMA CV.

AUT CITO TRIBUENDUM AUT CITO NEGANDUM.

PRimum eſt, ut praeſtes, ſi quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde ſequens, ut cito, Cinna, neges.

Di-

Digitized by Google

Diligo praestantem, non odi, Cinna, negantem;
Sed tu nec praestas, nec cito, Cinna, negas.

Primum. Gratissimum est petenti, ut ei beneficium conferatur. *Illud sequens.* Secundum est, si cito negetur.

EPIGRAMMA CVI.

PRAESENTIS TEMPORIS USURAM ACCIPIENDAM.

CRas te victurum, cras dicis, Postume, semper;
Dic mihi cras istud, Postume, quando venit?
Quam longe est cras istud? ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos;
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Postume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

Cras. Semper hodiernam diem conterens, craftinam ais te arrepturum. De voluptaria vita hic loquitur, & desipit; si de vita praeclare factorum plena intelligas, ac tibi praeceptum putes, vere sapis. *Parthos.* Numquid instar eorum est, quae inter Parthos & Armenios aguntur? *Priami.* Satis longum tempus abiit, ex quo ais te tempore usurum, nec usus es: jam jam senex factus es. *Quanti.* Fac ut sit in manu tua, eoque utaris. *Quisquis vixit heri.* Quisquis sapit, tempore, cum praesens erat, praeclare usus est.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA CVII.

IN HOMINEM INDOCTIS DIVERSAE A SE.

INsequeris fugio; fugis insequor; haec mihi mens est.
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Fugis. Diversa omnino nobis sunt studia, animus, natura, nunquam conveniemus.

EPIGRAMMA CVIII.

IN EUM QUI DIU BENEFICIUM DISTULERAT.

SEx sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi; sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Paete, pro ducentis.
At nunc cum dederis diu moratus,
Post septem, puto, vel novem calendas,
Vis dicam tibi verbera veris?
Sex sestertia, Paete, perdidisti.

Dixti. Dixisti. *Calendas.* Menses, *Perdidisti.* Minatur se ea nolle reddere.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA CIX.

IN FICTUM OFFICIOSUM.

Scis te captari; scis hunc, qui captat, avarum;
Et scis qui captat, quid, Mariane, velis:
Tu tamen hunc tabulis heredem, stulte, supremis
Scribis, & esse tuo vis, furiose, loco.
Munera magna tamen misit, sed misit in hamo:
Et piscatorem piscis amare potest!
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

Captari. Magnis officiis coli, ac parvis muneribus allici, ut heredem faciat. *Quid velit*. Majora nunc accipere, ac demum heredem fieri. *Supremis tabulis*. Tuo testamento. *Vis tuo loco*. In tuis bonis succedere, & tuo nomine deinceps appellari. *Munera in hamo*. Satis vetusta locutio, & proverbii forma. *Des nihil*. Tum spe sua, suoque conatu deceptus ex dolore plorabit.

EPIGRAMMA CX.

IN MAGNA PROMITTENTEM.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai;
Vincam te donis muneribusque meis.

Acci-

Digitized by Google

Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis,
Aurea quidquid habet divitis unda Tagi.
Quidquid Erythrea niger invenit Indus in alga,
Quidquid & in nidis unica servat avis.
Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno:
Quidquid habent omnes, accipe, quomodo das.

Callaicis. In fodinis Hispanis in Gallecia Ital. *Galizia.* *Astur.* Asturiae in Hispania incolae. *Unda Tagi.* Aureis ramentis, sive arenis fluens Tagus. *In alga Erythraea.* In maris Erythraei littoribus, & in ipso mari, quod gemmis, aliisque pretiosis lapidibus celebre est. *Niger Indus.* Aethiopes, qui in Arabiam felicem, & in Indiam vergunt. *Avis unica.* Phoeniciam ex avi ejus nominis intelligit, quod tamen duriusculum est. *In aheno Agenoreo.* In aheno, quo Tyrii, & Sidonii Agenori Regi olim parentes vestes suas purpureas tingunt. *Tyros improba.* Assidua in eo opere lanarum tingendarum. *Quomodo das.* Das solum verbis, verbis tibi do.

EPIGRAMMA CXI.

PARVI PRAEDII DONUM IRRIDET.

Donasti, Lupe, rus sub Urbe nobis:
Sed rus est mihi majus in fenestra.
Rus hoc ducere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianae,
Arguta tegit ala quod cicadae,
Quod formica die comedit uno;

Digitized by Google

Clauſae cui folium roſae corona eſt?
In quo non magis invenitur herba,
Quam Coſmi folium: piperve crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec ſerpens habitare tota poſſit?
Erucam male paſcit hortus unam;
Conſumto moritur culex ſalicto;
Et talpa eſt mihi foſſor atque arator;
Non boletus hiare, non mariſcae
Ridere, aut violae patere poſſunt.
Fines mus populatur, & colono
Tamquam ſus Caledonius timetur.
Et ſublata volantis ungue Progne
In nido ſeges eſt hirundinino.
Vix implet cochleam peracta meſſis;
Et muſtum nuce condimus picata.
Erraſti, Lupe, littera ſed una:
Nam quo tempore praedium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

Rus. Ut ipſe vocas, cum agellus ſit, & parvum praediolum. *In feneſtra*. Vaſa illa florum vel etiam arbuſculorum ad ſpeciem & ornatum. *Ruta*, Rutae vel una planta inumbrat omnia quaſi nemus Dianae Aricinae ita magnum. *Roſae*. Roſae, quae non explicuit folia, cum erumpere in flores incepit. *Erucam paſcit*. Hic hortus vix cibum miniſtrat uni erucae. *Culex ſalicto*. Culex, alia hujuſmodi animalia, ſi in hoc horto paſcantur, brevi illum exhauriunt, & deinces eis fame moriendum eſt. *Talpa foſſor*. Talpa ſub terram vivens, in eaque excavans eſt mihi loco foſſoris. *Hiare*. Erumpere, & erumpendo terram aperire. *Mariſcae*. Ficus grandior, & inſipida, cum prope matura eſt, ſi pluat, aperitur, & quaſi ridet. *Sus Caledonius*. Aper quem

Digitized by Google

quem in Caledonia silva interfecit Hercules. *Progues*. Si ex hoc agello hirundo paleas sumat ad condendum nidum, eum exhauriet. *Implet cochleam*. Parvulum vasculum instar donus, quam cochlea secum defert. *Nuce picata*. Nuce pice illita, quasi doliolum. *Erraßi*. Hactenus bene, native, & divide narrationem produxit, nisi forte longiuscule, & ad limis minuta, nunc plane ad frigidam & quaesitam ineptioam in littera una ludens *prandium praedium*, nisi excuses in joco.

EPIGRAMMA CXII.

IN VARIAE INDOLIS HOMINEM.

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Nec tecum. Cum morosus, querulus, asper es, omnia fastidiens. *Nec sine te*. Cum urbanus, suavis, elegans, omnia hilarans.

EPIGRAMMA CXIII.

EX CORPORIS HABITU ANIMI MORES CONJICIT.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Rem magnam. Res haec magna, quam praedicat est naturam vincere, sive eam naturam, quae ad malum feratur, in bonum adducere.

Digitized by Google

EPIGRAMMA CXIV.

QUI FUTURI SINT MORES VEL SUI IN ALIA FORTUNA PRAEDICI NON POSSE.

Saepe rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens!
Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Si fiam. In tenui fortuna multi satis praeclara de se solent polliceri, se miseris opem laturos, divitias ad sui, amicorum, ad omnem honestatem collocaturos, & similia; quae dum deinceps non praestantur, si divites facti sunt aperte praedicant aut falso gloriatos esse, aut stulte.

EPIGRAMMA CXV.

HOMINEM PURUM IMITATOREM DERIDET.

Scribebamus epos, cepisti scribere; cessi,
Aemula ne starent carmina nostra tuis.
Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos:
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
Fila lirae movi doctis exculta Camoenis:
Plectra rapis nobis ambitione nova.

Au-

Digitized by Google

Audemus ſatyras? Lucilius eſſe laboras.
Ludo leves elegos? tu quoque ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt, epigrammata fingere cepi:
Hinc etiam petitur jam mea fama tibi.
Elige quid nolis: quis enim eſt pudor omnia velle?
Et ſi quid non vis, Tucca, relinque mihi.

Epos. Carmen epicum, heroicum. *Noſtra Thalia*. Ego. *Cothurnos*. Cothurnati enim tragoedias recitabant. *Syrma*. Tragicorum veſtis eſt. *Fila lyrae*. Odas & lyrica ſcripſi, tu quoque odas & lyrica ſcribis, ut mihi palmam praeripias. *Lucilius*. Satyrarum ſcriptor primus Latinorum.

EPIGRAMMA CXVI.

IN PETENTEM LIBROS SINE NUMMIS.

Exigis ut donem noſtros tibi, Quincte, libellos?
Non habeo; ſed habet bibliopola Tryphon.
Aes dabo pro nugis, & emam tua carmina ſanus?
Non, inquis, faciam tam fatue: nec ego.

Exigis. Ex importunitate toties petendi, ut legendos mittam. *Aes dabo pro nugis*. Verba ſunt Quincti. *Nec ego*. Reſpondet Poeta joco jocum eludens.

Digitized by Google

EPIGRAMMA CXVII.

DE EROTIO SEXENNI PUELLA.

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla, puellam
Oscula commendo, deliciasque meas.
Parvula ne nigras horrescat Erotion umbras,
Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextae modo frigora brumae,
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciva patronos,
Et nomen blaeso garriat ore meum.
Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

Fronto. Fronto & Flaccilla servi fuerunt Martialis jam vita ambo functi. *Ne horrescat umbras.* Pulchre puerorum mos descriptus. *Tartarei canis.* Cerberi. *Sextae brumae.* Sex annos. *Ludat inter Patronos.* Vos illius parentes, nunc ejus Patroni: & hoc *ludat* pulcherrimum est, & parvulam filiam in Parentum gremium convolantem & ludentem ob oculos ponit. *Garriat nomen meum.* Dulce enim a tenellis pueris nominari, licet male pronuncient. *Tegat ossa.* Terra illi mortuae injecta non premat, aut gravet, sed sit ei levis, juxta formam precandi mortuis. *Sit tibi terra levis. Non fuit gravis.* Nec vitae factis, nec corporis pondere. Bonum epigramma, native expositum, & native conclusum.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA CXVIII.

DE SALONINO PARENTEM SOLATUR.

Sancta Salonino terris requieſcit Iberis,
Qua melior ſtygias non videt umbra domos:
Sed lugere nefas: nam qui te, Priſce, reliquit,
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

Sancta. Quod poſt vitam praeclare actam ad beatum aevum evolarit. *Terris Iberis.* Hiſpania, ubi exceſſerat. *Lugere nefas.* Lugendi, quos aeternis ſuppliciis mactatos vereamur, quos ex integra vita beato aevo frui ſperemus, de iis ſperandum jure eſt. *Qua voluit.* Factorum celebritate apud poſteros, & beati aevi felicitate apud Deum.

EPIGRAMMA CXIX.

EPITAPHIUM GLAUCIAE.

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciae breves Patroni,
Hoc ſub marmore Glaucias humatus
Junctо Flaminiae jacet ſepulcro:
Caſtus moribus, innocens pudore,

Digitized by Google

Velox ingenio, decore felix.
Bis ſenis modo meſſibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas Viator.

Melioris. Civis divitis, & nobilis Romani. *Deliciae breves.* Gaudium, & deliciae Meliori ſuo Domino, & ob ingenium admodum puer manu miſſus, & admodum puer matures. *Flaminiae.* Viae a Flaminio munitae atque ab eo ita appellatae in Inſubria a Bononia Placentiam, Mediolanum in alias urbes. *Bis ſenis meſſibus.* Duodecim annorum. *Applicabat.* Addebat. *Fles talia.* Qui tantam de puero jacturam; ut par eſt, cum Meliore fles, precor, ut tibi omnia fauſta contingant, ut numquam tibi deflendum ſit.

EPIGRAMMA CXX.

DE EODEM.

Non de plebe domus, nec avarae verna cataſtae
Sed Domini ſancto dignus amore puer.
Munera cum poſſet nondum ſentire patroni,
Glaucia libertus jam Melioris erat.
Moribus hoc formaeque datum. Quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis brevis eſt aetas, & rara ſenectus:
Quidquid ames, cupias non placuiſſe nimis.

Cataſtae. Cataſta erat illa plateae pars, ſeu clauſtra, in quibus Mangones, ſeu puerorum venditores pueros emtos

Digitized by Google

tos aut furtim ablatos exponebant plus offerenti adjudicaturi. *Munere*. Parva dona illecebras ad serviendum, & libertatis spem. *Apollineo*. Pulchro & decoro quasi instar Apollinis. *Immodicis*. Quae aetatem praeveniunt praecocia ingenia, saepe non perveniunt ad maturam aetatem, aut eam fallunt. *Cupias non placuisse*. Ne jactura sua deinde acrius crucient.

EPIGRAMMA CXXI.

EPITAPHIUM PANTAGATHI.

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura dolorque sui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.
Sis licet, ut debes, Tellus, placata, leviſque
Artificis levior non potes esse manu.

Domini cura. Nunc extinctus maestitia ob jacturam, qui olim gaudium erat ob ministerium, & gratiam. *Vix tangente*. Adeo idoneus & delicatus tondendo, ut vix tangere videretur. *Sis levis*. Quamvis huic puero levis sis, quod ceteris precamur, non satis promerito feceris.

EPIGRAMMA CXXII.

DE MORTE EUTYCHI PUERI.

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino,
Najades, & luctus sentiat ipsa Thetis.

In-

Digitized by Google

Inter Bajanas raptus puer occidit undas
Eutychus ille tuum, Caſtrice, dulce latus.
Hic tibi curarum ſocius, blandumque levamen,
Hic amor, hic noſtri vatis Alexis erat.
Quidquid ideſt, ſubitae quaecumque eſt cauſſa rapinae;
Sit precor, & tellus mitis, & unda tibi.

Nefas. Mortem hujus pueri a vobis vel illatam, vel non prohibitam. *Tuum latus*. Qui ob fidem tibi uſque aderat, & quaſi lateri haerebat. *Erat Alexis*. Puer unice dilectus, & in deliciis habitus, ut Alexis ille Virgilio. *Sit tellus mitis*. Vetus precandi mortuis formula.

EPIGRAMMA CXXIII.

EPITAPHIUM URBICI PUERI.

Conditus hic ego ſum Baſſi dolor Urbicus infans:
Cui genus & nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menſes,
Ruperunt tetricae cum mala penſa Deae.
Quid ſpecies, quid lingua mihi, quid profuit aetas?
Da lacrimas tumulo, qui legis iſta, meo.
Sic ad Lethaeas, niſi Neſtore ſerior, undas
Non eat, optabis quem ſupereſſe tibi.

Baſſi dolor. Parentis mei dolor. *Nomen Roma dedit*. A Roma, quae una Urbs dicitur, Urbicus dictus ſum. *De prima trieteride*. Triennis eram ſi adhuc ſex menſes vivebam

Digitized by Google

bam. *Tetricae Deae*. Parcae vitae filum inciderunt. *Sic ad Lethaeas*: Qui fles me puerum immature mortuum ex hac pietate Dii faciant, ut puer, qui tibi superat, senex fiat, quasi alius Nestor.

EPIGRAMMA CXXIV.

EPITAPHIUM PARIDIS NOBILIS HISTRIONIS.

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile praeterire marmor.
Urbis deliciae, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

Teris Flaminiam. In via Flaminia incedis. *Praeterire*. Quin aspicias paullulum commoreris, & quis hic jacet perpendas. *Nili*. Ex Aegypto enim Romam venerat. *Decus, & dolor theatri*. Decus cum viveret, & in scenam prodiret, dolor cum interiit. *Veneres Cupidinesque*. Pulchritudo, gratiae, joci, quidquid Venus & Cupido amoenitatis jucunditatisque inspirant. *Paris*. Hunc Domitianus interfecit, quod eum libentius audiret Domitilla uxor.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA SELECTA VARIORUM.

AUSONII, CLAUDIANI, ET ALIORUM.

EPIGRAMMA I.

IN MAGNA FORTUNA HUMILEM CONDITIONEM NON OBLIVISCENDAM.

Fama est fictilibus cenasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio saepe oneratse luto.
Fercula gemmatis cū poneret horrida vasis,
Et misceret opes pauperiemque simul.
Quaerenti causam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniae, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Agathoclea. Syracusarum Tyrannum. *Abacum*. Mensam fictilibus vasis praecipue e creta Samia factis, ubi plurima ea vasa fiebant. *Horrida*. Lauta quidem ut Regis, sed hac jugi admonitione quasi funesta. *Habe*. Verere, ac time praesertim a paupertate ad divitias & regnum evectus.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA II.

IN SIMULACRUM OCCASIONIS ET POENITENTIAE.

CUjus opus? Phidiae, qui ſignum Palladis, ejus,
Quique Jovem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quae rara, & paucis Occaſio nota
Quid rotulae inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum Mercurius, quae
Fortunare ſolet, tardo ego, cum volui.
Crine tegis faciem: cognoſci nolo. Sed heus tu,
Occipiti calvo eſt. Ne tenear fugiens.
Quae tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic rogo, quae ſis;
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quae facti, non factique exigo poenas.
Nempe ut poeniteat. Sic Metanoea vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum! Si quando volavi
Haec manet: hanc retinent quos ego praeterii.
Tu quoque dum rogitas: dum percontando moraris:
Elapſam dices me tibi de manibus.

Tertia palma. Tertium Phidiae opus celebratiſſimum. *Talaria*. Calceamenta alata Mercurii propria. *Calvo*. Caput habes raſum. *Nec Cicero*. Quamvis diſertiſſimus, & fingendis quoque ex graeco nominibus, nec poenitentiam nec metanoeam dixit, iiſque facile carere potuimus. Auſonio certe relicta ſunt. *Facti*. Admiſſi ſceleris. *Non facti*. Omiſſi boni. *Metanoea*. Dolor male facti, atque facti dolor.

Digitized by Google

EPIGRAMMA III.

DIDONIS ADVERSUS VIRGILIUM QUERELA.

Illa ego sum Dido, vultu quam conspicis, hospes,
Assimilata modis pulchraque mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens;
Vita nec incestis laeta cupidinibus.
Namque nec Aeneas vidit me Trojus unquam,
Nec Lybiam advenit classibus Iliacis:
Sed furias fugiens, atque arma procacis Jarbae,
Servavi, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, castos quod pertulit enses.
Non furor, aut laeso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat: Vixi sine vulnere famae.
Ulta virum, positis moenibus oppetii.
Invida cur in me stimulasti, Musa, Maronem,
Fingeret ut nostrae damna pudicitiae?
Vos magis Historicis, lectores, credite de me,
Quam qui furta Deum concubitusque canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum!
Humanisque Deos assimilant vitiis.

Non quam Maro. Ut furtivis Aeneae amoribus indulgerem. *Nec vidit*. Nam Aeneas ad 230. annos aetate praecessit Didonem. *Lybiam*. Cartaginem. *Jarbae*. Getuliae Regis, qui Didonem ad nuptias armis compellebat. *Morte*. Dido enim ad vitandum bellum a suis rogata ut Jarbae nuberet, fingens se ante viri sui manes sacrificio placare velle, se in sacrificio interfecit. *Assimilant*. Vitiosos faciunt Deos, ut homines vitia sua ita excusent.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA IV.

AD FAUSTULUM BREVISSIMAE STATURAE HOMINEM.

Faustulus insidens formicae, ut magno elephanto,
Decidit, & terrae terga supina dedit.
Moxque idem ad mortem est multatus calcibus ejus:
Perditus ut posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus: quid rides improbe livor?
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaeton.

Formicae. Parvo equo, ut formica videretur, sed cum ipse tam parvus esset, ex elephanto decidisse videri potuit. *Multatus.* Ita calcibus percussus, ut prope exanimis sit. *Perditus.* Omnibus artubus fractus.

EPIGRAMMA V.

JULII AUSONII PATRIS COMMENDATIO.

Primus in his Pater, Ausonius, quem ponere primum,
Et si cunctetur Filius, ordo jubet.
Cura Dei placidae functus quod honore senectae
Undecies binas vixit olympiadas.
Omnia quae voluit qui prospera vidit & idem
Optavit quidquid, contigit, ut voluit.

Non

Digitized by Google

Non quia fatorum nimia indulgentia: ſed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem ſua contendit ſeptem ſapientibus aetas:
Quorum doctrinam moribus excoluit.
Viveret ut potius, quam diceret arte ſophorum;
Quamquam & facundo non rudis ingenio.
Praeditus & vitas hominum ratione medendi,
Porrigere & fatis amplificare moras.
Inde & perfunctae manet haec reverentia vitae,
Aetas noſtra illi quod dedit hunc titulum.
Ut nullum Auſonius quem ſectaretur habebat,
Sic nullum qui ſe nunc imitetur habet.

Undecies. Octoginta octo annos. *Contendit*. Sua aetas, qua vixit, inter ſapientes numerat. *Amplificare*. Efficere ut ſerius dies & vitam traducant. *Perfunctae*. E periculis & morte ſervatae. *Titulum*. Hanc laudem.

EPIGRAMMA VI.

DE THALASSO GRAMMATICO BURDIGALENSI.

Officium, nomenque tuum, primaeve Thalaſſe,
Parvulus audivi: vix etiam memini.
Qua forma, aut merito fueris, qua ſtirpe Parentum,
Aetas nil de te poſterior celebrat.
Grammaticum juvenem tantum te fama ferebat:
Tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet.

Sed

Digitized by Google

l quicunque tamen noſtro quia doctor in aevo
Vixiſti, hoc noſtrum munus habeto; vale.

)fficium. Docendi Rhetoricam, quod in patria ſua Burala, Ital. *Bòrdò*, exercuit. *Primaeve*. Senior, & ad mam ſenuctutem docens. *Te fama*. Exiguâ ſanè laus; ſi paullum erigatur non contemnenda, cum ſingularia ninis facta prodita non ſunt.

EPIGRAMMA VII.

DE CITARIO SYRACUSANO GRAMMATICO.

ET Citari dilecte mihi, memorabere digno
Grammaticos inter qui celebrere bonos.
ſſet Ariſtarchi tibi gloria, Zenodotique
Grajorum, antiquus ſi ſequeretur, bonos.
arminibus, quae prima tuis ſunt condita in annis,
Concedit Cei Muſa Simonidei.
'rbe ſatus ſicula, noſtram peregrinus adiſti:
Excultam ſtudiis quam prope reddideras:
lt nos defunctum memori celebramus honore,
Fovimus ut vivum munere amicitiae.

Ariſtarchi. Grammatici & Cenſoris acerrimi, ut Homeraliorumque ſcriptorum carmina & opera legitima habeentur, aut repudiarentur, quae Ariſtarchus probaſſet aut epudiaſſet. *Zenodoti*. Paris Cenſoris, ſed aetate & critice Ariſtarchum preceſſit. *Cei*. Simonidis Poetae ex Cea Aegaei maris inſula. *Noſtram*. Burdigalam Auſonii patriam.

Digitized by Google

EPIGRAMMA VIII.

AD PRAECLAROS AETATIS SUAE VIROS VITA FUNCTOS.

Valete Manes inclitorum Rhetorum,
Valete Doctores probi.
Historia si quos vel poeticus stilus,
Forumque fecit nobiles:
Medicae vel artis, dogma vel Platonicum
Dedit perenni gloriae:
Et si qua cunctis cura viventum placet,
Juvatque honor superstitum:
Accipit maestum carminis cultum mei,
Textum querela flebili.
Sedem sepulcris servet immotus cinis,
Memoria vivat nominum.
Dum remeat illud judicis dono Dei,
Commune cum Diis saeculum.

Manes. Animae vita functorum. *Forum*. Eloquentia. *Cultum*. Haec carmina de vobis scripta non sine lacrimis. *Dum remeat*. Donec illucescat dies, quo cuncti homines ad immortalem vitam non morituri excitabuntur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA IX.

DE DIDONE.

INfelix Dido nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Nulli. Nec Sichaeo, cui vere nupserat, nec Aeneae, cui nubere voluisse finxit Virgilius.

EPIGRAMMA X.

MUSARUM INVENTA, ET OFFICIA.

CLio gesta canens transactis tempora reddit:
Melpomene tragico proclamat maesta boatu:
Comica lascivo gaudet sermone Thalia:
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget:
Terpsicore affectus citharis movet, imperat, auget:
Plectra gerens Erato, saltat pede, carmine, vultu:
Carmina Calliope libris heroica mandat:
Uraniae Caeli motus scrutatur, & astra:
Signat cuncta manu, loquitur Polihymnia gestu.
Mentis Apollineae vis has movet undique Musas.

Clio. Antiquarum rerum scribandarum Praeses. Officia, quae certis his Musis assignat, aliis etiam tribuuntur: ideoque a Poetis varie invocantur. *Maesta*. Quod funeribus

Digitized by Google

praeeſt: verba ea *boatu* & *proclamat boatu*, ne te admodum delectent. *Laſcivo*. Quod in comediis Juvenum furtivi amores, ſervorum ancillarumque fraudes traduçuntur, ut emendentur. *Dulciloquos*. Lyricorum Praeſes, qui ſuavius ceteris ſcribunt, ideo inflat calamos ſeu lyram. *Cytharis*. Elegiaco carmini. *Plectra*. Amatoria argumenta inſpirat: quare ſaltat *pede*, *carmine*, *vultu*, quod amantium affectiones tam loetae ac tam variae ſunt. *Caeli*. Aſtrologicarum rerum Muſa.

CLAUDIANI.

EPIGRAMMA I.

DE SENE VERONENSI, QUI NUMQUAM SUBURBIO EGRESSUS FUERAT.

Felix qui patriis aevum traviegit in agris
Ipſa domus puerum vidit, & ipſa ſenem.
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numeret ſaecula longa caſae.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claſſica miles;
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum: vicinae neſcius urbis,
Adſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule, computat annum:
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager ſoles, idemque reducit,
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Aequatumque videt conſenuiſſe nemus.

Pro-

Digitized by Google

roxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacunque putat littora rubra lacum.
ed tamen indomitae vires, firmisque lacertis
Aetas robustum tertia cernit avum.
Erret & extremos alter scrutetur Iberos;
Plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

Domus. Qui adolevit ac senuit in eadem domo, in qua atus est. *Baculo*. Qui in eodem agro incedit nunc senex e sabstentans baculo, in quo reptavit puer. *Saecula*. Qui otius vitae suae tempora numerat in eodem tugurio tra-lucta. *Mobilis*. Nunc huc, nunc illuc commigrantis. *Clas-ica*. Strepitus & damna armorum. *Rauci*. Clamantis & itigantes absumentis. *Indocilis*. Negotiorum & novarum erum curam contemnens. *Alternis*. Annos numerans per nesses, non per Consules. *Condit*. Ex eodem agro videt orientem & occidentem solem. *Indis*. Qui aeque nihil co-gitat de Verona (ex qua urbe hic erat senex) agro suo rope finitima ac de Indis, nihilque item aeque cogitat de acu Benaco ac de mari rubro. *Indomitae*. Vigentes, non ractae. *Tertia aetas*. Tertia generatio; ad septuaginta aut octoginta annos. *Hic*. Qui domi suae suis bonis contentus vivit, habet plus otii, qui peregrinatur habet plus cogni-ionis.

EPIGRAMMA II.

DE CRYSTALLO, CUI AQUA INERAT.

Possedit glacies naturae signa prioris,
Et fit parte lapis, frigora parte negat.

Digitized by Google

Solers lusit hiems, imperfectoque rigore
Nobilior, vivis gemma tumescit aquis.

Glacies. Crystallus, quae glacies videtur. *Prioris*. Aquae indiciae, ideſt liquoris ſpeciem. *Frigora*. Soliditatem lapidis in glaciem durescentis.

EPIGRAMMA XIII.

DE EADEM CRYSTALLO.

Lymphae quae tegitis cognato corpore lymphas,
Et quae nunc estis, quaeque fuistis aquae.
Quod vos ingenium vinxit, qua frigoris arte
Torpuit, & maduit prodigiosa silex?
Quis tepor inclusus securas vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus claustris arcano mobilis aestu
Vel concreta fuit, vel resoluta gelu?

Cognato. Simili. *Nunc estis*. Aquae estis nunc glacies factae, ut fuistis aquae priusquam in glaciem densseretis. Poeta enim hic ejus sententiae est, qua crystallus ex aqua in glaciem congelata naturae vi fieri creditur. Ceterum crystallus non ex aqua, sed ex certa sua materia fit, ut cetera fossilia & metalla.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XIV.

DE EADEM.

Solibus indomitum glacies alpina rigorem
Sumebat nimio jam pretiosa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam,
Sed medio mansit proditor orbe latex.
Auctus bonos, liquidi crescunt miracula saxi,
Et conservatae plus meruistis aquae.

Rigorem. Soliditatem crystalli non domitam a solis vi. *Mentiri.* Abscondere & efficere, ne aqua appareret. *Proditor.* Aquae liquor ostendit non esse se totum crystallum, sed inesse etiam aquae guttam.

EPIGRAMMA XV.

IN SPHAERAM ARCHIMEDIS.

Jupiter in parvo cum cerneret aethera vitro
Risit, & ad Superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progressa potentia curae?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli rerumque fidem, legesque Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.

Digitized by Google

Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.
Jamque ſuum volvens audax induſtria mundum
Gaudet, & humana ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Aemula naturae parva reperta manus.

Aethera. Orbes caeleſtes. *Vitro.* Poetice dixit; nam ſphaera ab Archimede aerea effecta eſt, aut lignea, ut alii memorant. *Syracuſius.* Archimedes Civis Syracuſanus. *Signifer.* Sol. *Cynthia.* Luna. *Salmonea.* Qui pontem aeneum fulmine quatiebat ad imitanda tonitura, quare ab Jove fulmine attritus eſt.

SENECAE.

EPIGRAMMA I.

OPTAT LOCUM EXSILII SIBI MITEM ESSE.

Corſica Phocaeo tellus habitata colono:
Corſica quae Grajo nomine Cyrnus eras:
Corſica Sardinia brevior, porrectior Ilva:
Corſica piſcoſis pervia fluminibus:
Corſica terribilis, cum primum incanduit aeſtas:
Saevior oſtendit cum ferus ora canis:
Parce relegatis hoc eſt jam parce ſepultis.
Vivorum cineri ſit tua terra levis.

Phocaeo. A Grecis qui Phocide relicta in hanc inſulam commigrarunt. *Ilva.* Finitima Corſicae inſula, Ital. *l'Elba* fer-

Digitized by Google

ferri fodinis satis dives. *Pervia*. Abundans fluminibus, quae satis bonis piscibus commendantur. *Incanduit*. Cum ardere & saevire. aestas incipit. *Canis*. Caniculae aestus. *Sepultis*. Ab amicis, omnique cognitorum hominum commercio & solatio separatis, ideo quasi sepultis. *Levis*. Precatio qua pro mortuo terram precari consueverunt.

EPIGRAMMA II.

MONET MALEDICOS NE EXSULEM IRRIDEANT.

Dum sua compositus nondum bene concutit arma
Miles, & e nostra lancea torta manu:
Bellus homo & valide capitalia crimina ludis:
Deque tuis manant atra venena jocis.
Sed tu perque jocum dicis vinumque, quid ad rem,
Si plorem? risus si tuus ista facit?
Quare tolle jocos, non est jocus esse malignum.
Numquam sunt grati, qui nocuere sales.

Compositus. Instructus ad praeliandum paratis armis. *Manu*. Dum nondum tela, manu aptare potui, ne dum tela jacere: hoc est dum absens non possum crimina mihi objecta repellere. *Ludis*. Videris ludere, & ludens maxima crimina objicis & confirmas. *Per vinum*. Inter cenam cum amicis: quasi per jocum reum facis. *Si plorem*. Respondet criminator: quid juvarem plorando; si tu Seneca exsilium tuum quasi cum risu excipis? id facit, ut nec ego casus tuos defleam. *Tolle jocos*. Respondet Seneca; ne joco dicas, quod maligne tandem dicis.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA III.

TEMPORE OMNIA ABSUMI.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, & juga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima caeli
Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. Lex est, non poena perire:
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

Deficiunt. Ubi erant flumina, flumina esse desistunt. *Siccat mare.* Ubi prius erat mare, mare esse desinit: ita & montes destruuntur. *Ardebit flammis.* Ita exploratum est, *Caeli*, ait Princeps Apostolorum 2. ep. *Igne dissolvetur.*

EPIGRAMMA IV.

TIBULLI DE SE IPSO.

Hic jacet immiti consumtus morte Tibullus,
Messallam terra dum sequiturque mari.

Hic. In Phaeacum insulam, *Corfu*, cum Messalla proficiscens in morbum incidit, ex quo se morituram intelligens hoc scripsit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA V.

DE EODEM DOMITII AFRI.

TE quoque Virgilii comitem non aequa Tibulle
Mors juvenem campos misit ad Elysios.
Ne foret aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Mors non aequa. Mors immatura rapuit, nam trigesimum secundum annum agens obiit anno Urbis Conditae 750. *Comitem Virgilii.* Sed non eodem pacto: Virgilium juvenem quidem misit contemplantem in Aeneae itinere descripto 6. Aen. re deinde senem, te autem e vivis plane ereptum. *Ne caneret.* Ne insigne carmen heroicum conderet, ut ipse animo conceperat.

PALLADII

EPIGRAMMA VI.

ILIADIS LIBRUM ASELLUS LACERAT.

CArminis Iliadis libros consumsit asellus:
Hoc fatum Trojae est: aut equus, aut asinus.

Iliadis. Homeri carmen de bello Trojano, quod *Ilias* inscripsit. *Consumsit.* Laceravit. *Equus.* Adde Trojam perdit.

EPI-

Digitized by Google

EJUSDEM

EPIGRAMMA VII.

COLUMBAE IN GALEA MILITIS NIDUM FACIUNT.

Militis in galea nidum fecere columbae:
Apparet Marti quam sit amica Venus.

Marti. Vel de Marte ipso, vel de viris bellum sequentibus id intellige.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATA SELECTA

PRINCIPUM POETARUM SAECULI XVI.

JACOBI PONTANI.

EPIGRAMMA I.

LAETATUR AMICI REDITU.

Roma meus Aelius revisit
Dulcem Parthenopem, lares paternos:
O lucem niveam, diemque faustum!
Antiquum video, & bonum sodalem,
Et canam teneo manum, fruorque
Gratis colloquiis, fruor cachinnis,
Et laetis salibus facetiisque.
O vere niveum, diemque faustum.
Quid non pro reduci libens amico
Persolvam? puer, i, voca sodales
Albinum, Elysiumque, compatremque,
Et dulcem Altilium, bonum Marullum,

Ad

Digitized by Google

Ad cenam veniant, bibamus uncti,
Uncti, permadidi, atque lippientes.
Albinus numerum novem Sororum,
At monstra Herculea ebibat Marullus.
Bis septem volo Compater puellas
Junonis: volo quot Deae marinae
Cinxerunt niveae latus ministrae,
Cum Trojam peteret misella mater.
Ductet Altilius ciens coronam,
Saltans Elysius bibat, quot olim
Didonis famulae penum struebant,
Dum cenam profugo parat marito.
Me tot pocula, totque, totque, totque,
Tot me pocula juverint bibentem
Tot charchesia laverint madentem,
Quot quot Di simul, & Deae biberunt,
Aut quot, dum illa canit senex Homerus,
Siccavit calices, relevit obbas.
Dulce est ob reducem madere amicum.

Parthenopem. Neapolim, a Sirene ejus nominis ibi sepulta ita appellatam. *Uncti*. More veterum Romanorum. *Lippientes*. Prae ebrietate jam prope caecutientes. *Monstra*. Quae duodecim numerantur, & labores Herculis dicuntur, aper Erymanthaeus, taurus Cretensis, hydra Larnensis, cetera. *Junonis*. Vide Virg. 1. Aen. v. 75. *Deae marinae*. Thetidem, cum Trojam petiit, ut Achillem Filium a bello revocaret triginta tres Deae comitatae sunt apud Homer. Iliad. 18. *Didonis*. Vide Virg. 2. Aen. v. 707. *Charchesia*. Ingentia & procera vini vasa. *Oceani*. Ad Oceani convivium Jovem omnes Dii secuti sunt ex 2. Iliad. *Homerus*. Qui vino indulgere liberius consuevit. *Obbas*. Vasa vinaria, sed ampla.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA II.

UXOREM AC LIBEROS INVITAT AD DIEM NATALEM CELEBRANDUM.

DUlces filiolae, paterni ocelli,
Dulcis nate, patris tui voluptas,
Et conjux requies ſenis mariti,
Mecum templa piis adite votis,
Natalis meus eſt, Deos rogate,
Atque hunc atque alios agamus annos.
Fauſto ſidere, candidis lapillis,
Dum cares mihi redditis nepotes,
Qui blanda oſcula balbulaſque voces
Incomto ſimul ore blandiantur,
Inculto ſimul ore ſuavientur,
Mox convivia villula propinqua
Securis animis, dolore pulſo
Nocturnas ineamus ad lucernas.
Hic patri liceat ſeni falernum
Diffuſum cyatho minutiore
Roratim ingeminare ter quaterque,
Dum laſſos oculos ſopor reclinet.
At vos, quis pudor eripit lyaeum,
Nativaque ſitis levatur unda,
Dulci intingite melle, cinnamoque,
Haec ſunt pocula virginis Dianae,
Si quando ad Superum dapes vocatur.
Tu myrtum foribus, roſamque menſae

Ap-

Digitized by Google

Appone, & violis humum colora,
Respergе & cyprio domum liquore,
Nec desit lyra, eburneusque plectrum,
Qui gratas genio citet choreas.
Et dulces genium decent choreae,
Hunc vos, hunc hilares rogate, mentem
Det recti cupidam, simulque honesti,
Permittatque alia a Deis regenda.

Candidis. Quibus felices dies, in iisque res secundae notabantur. *Incomto*. Sincero, nullo fuco, aut quaesito officio. *Minutiore*. Minoris, & debilioris viti pleno. *Roratim*. In morem roris decidens. *Quis*. Pro, quibus. *Cyprio liquore*. Myrrha, aliis pretiosis unguentis.

EPIGRAMMA III.

MODERATAM LAETITIAM SAPIENTI ADMITTENDAM.

INter Socraticos licet libellos,
Atque inter studium decet Sophiae
Miscere & teneros, amice, lusus,
O Parde Aonidum comes Dearum.
Quare nec medicos lacus, nec hortos
Bajanos fuge, myrteumve littus.
Myrtos nam Maro, balneas & inter
Aeneam cecinit, potit profundi
Ditis dum hostia, dum parentis umbras,
Et prolis seriem accipit futurae.

Myr-

Digitized by Google

Myrtos & Cicero tuus frequentans
Fonteſque, & celebres agros Sibyllae,
Ornavit Latium potente lingua,
Detraxit ſpolia Atticae Camoenae.
Has Marcus coluit pater Senatus,
Terrarum & dominus, parenſque Romae,
Atque omnis ſapientiae Magiſter.
Has & tu cole Parde; nam ſeveram
Quandoque & jocus addecet ſophiam,
Et ludit ſapiens, dies & ipſi,
Et Soles variant, itemque Lunae,
Eſt & triſtitiae lepor levamen,
Bajanis lepor & levamen undis.

Socratices. Platonicos omniſque ſapientiae. *Medicos lacus*. Ad medicinam & valetudinem adhibitos. *Ditis*. Series eſt lib. 6. Aeneidos. *Fontes*. De quibus eſt epigramma Laureae Tullii, quod eſtrema pagina adducam. *Atticae Camoenae*. Cum Arati carmina in latinum convertit.

EPIGRAMMA IV.

INVITAT ANTONIUM PANHORMITAM AD RISUM.

ANtoni decus elegantiarum,
Atque idem pater omnium leporum,
Unus te rogat ex tuis amicis,
Cras ad ſe venias, feraſque tecum
Quantumcumque potes facetiarum,

Digitized by Google

Et quidquid fuerit domi jocorum.
Nam risus tibi tantum apparavit,
Quantum Democrito diebus octo
Profundi satis, & super fuisset.
Quod tecum patulo cupit palato
Perridere suapte risione,
Condita levitate, inepiisque.

Democrito. Festiva tua natura tam multum, ac tam liberalem risum tibi suppeditat, quantum Democrito, cui res omnes humanas, earumque vicissitudines ridebat, admodum dies superfuisset. *Condita.* Suavi, erudita, sapienti.

EPIGRAMMA V.

NUTRIX SOMNUM INVITAT, UT PUERUM SOPIAT.

SOmne veni; tibi Luciolus blanditur ocellis,
Somne veni; venias, blandule somne veni.
Luciolus tibi dulce canit: somne optime, somne,
Somne veni, venias, blandule somne veni.
Luciolus vocat in thalamos te somnule, somne
Somnule dulcicole, blandule somnicule.
Ad cunas te Luciolus vocat. Huc age somne,
Somne veni ad cunas, somne age, somne veni.
Ad cubitum te Luciolus vocat; eja age somne,
Eja age somne veni, somnule blande veni.
Luciolus te ad pulvinum vocat, instat ocellis.
Somne veni, venias, eja age somne veni.

Lu-

Digitized by Google

Luciolus te ad complexum vocat, innuit ipse,
Innuit, en venias, en modo somne veni.
Venisti, bone somne, boni pater alme soporis,
Qui curas hominum, corporaque aegra levas.

Luciolus. Nomina haec diminutiva, Ital. *Vezzeggiativi*, & res saepius repetitae lepido argumento, & nutrici lepide loquenti mirifice conveniunt. *Blanditur*. Risu & quiete invitat. *Instat*. Non venientem ipse tamen pulvino incumbens quasi compellit, ut veniat. *Pater*. Epithetum hoc Diis, qui peculiari ratione vitam aut inspirant, aut augent, tribuunt Latini, ideo apte & somno.

EPIGRAMMA VI.

EJUSDEM ARGUMENTI.

Scite puer, mellite puer, nate unice dormi:
Claude tenelle oculos, tende tenelle genas.
Ipse sopor non condis ait, non claudis ocellos?
En cubat ante tuos Luscula lassa pedes.
Languidulos [bene habet] conditque & claudit ocellos
Lucius, & roseo est fusus in ore sopor.
Aura veni, foveasque meum placidissima natum;
An strepitant frondes? Jam levis aura veni.
Scite puer, mellite puer, nate unice dormi;
Aura fovet flatu, mater amata sinu.

Luscula. Domestica & blanda canis, quae cum adsunt, pueri praegestiunt & quiescunt.

Digitized by Google

EPIGRAMMA VII.

EJUSDEM ARGUMENTI.

Fuſcula nox, Orcus quoque fuſculus, aſpice ut alis
Per noctem volitet fuſculus ille nigris.
Hic vigiles captat pueros, vigileſque puellas.
Nate oculos cohibe, ne capiare vigil.
Hic captat ſeu quas ſenſit vagire puellas,
Seu pueros. Voces comprime nate tuas.
Ecce volat, nigraque caput caligine denſat,
Et quaerit natum Fuſculus ille meum.
Ore fremit denteſque ferus, jam dente laceſſit,
Ipſe vorat querulos, pervigileſque vorat.
Et niger eſt, nigriſque comis, nigroque galero,
Tu puerum clauſo Liſa reconde ſinu.
Luciolum tege Liſa ferox quos pandit hiatus,
Quaſque aperit fauces, ut quatit uſque caput!
Me miſeram! an ferulas geſtat quoque? Parce, quieſcit
Lucius, & ſunt qui rus abiiſſe putent.
Rura meus Lucillus habet; nil ipſe moleſtus,
Nec vigilat noctu, conquieriturve die.
Ne ſaevi, birſutaſque manus tibi comprime ſaeve,
Et tacet & dormit Lucius ipſe meus.
Et Matri blanditur, & oſcula dulcia figit,
Bellaque cum bella verba ſorore canit.

Nox. Adde en adeſt: quas res cum eis imminere, ab eisque Nutrices ſe illos tueri audiunt, facillime ſopiuntur pueri.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA VIII.

AD TUMULUM ANTONII PANHORMITAE.

Iſte hoſpes; fas eſt cantus audire Dearum:
Grata mora eſt, Muſae nam loca ſacra tenent.
Antoni monumenta vides; hinc templa frequentant
Ille fuit ſacri maxima cura chori.
Illum ſaepe ſuis medium ſtatuere choreis:
Duxit compoſitos arte docente choros.
Saepe lyram ceſſit Clio, ceſſere ſorores.
Concinuit teneros voce manuque ſonos.
Extinctum flevitque Aon, flevitque Aganippe;
Sebetus miſeros egit in amne modos.
Sirenes quoque de ſcopulis miſerabile carmen
Ingeminant; plantu littora pulſa ſonant.
Pierides triſtem ad tumulum effudere querelas,
Pierides paſſis poſt ſua terga comis.
Hinc crevit deſiderium, nec cura receſſit
Vatis, at extincto vate receſſit amor.
Conveniunt nunc ad tumulum, celebrantque choreas,
Et memorant luſus, magne Poeta, tuos.
En audis, ſonet ut lenis concentibus aura?
Ut ſtrepat applauſu concita terra pedum?
Haec Vati memores Muſae poſt fata rependunt.
Carminis hoc meritum eſt, num ſatis? Hoſpes abi.

Cantus. Defuncti laudes efferentes ipſae Deae ob ſingularem viri praeſtantiam. *Grata mora*. Ne graveris pauliſper

Digitized by Google

immorari, si Musae ipsae locum hunc honorant. *Desiderium.* Ut adhuc viveret Poeta. *Nec cura.* Dolor ex ejus morte. *Memorant.* Tua ipsa carmina Deae ipsae canunt, ut quae satis digna illarum majestate.

JACOBI SANNAZARII.

EPIGRAMMA IX.

AD ANIMI REMISSIONEM ADVENTU VERIS COHORTATIO.

Majus adest, da serta puer, sic sancta vetustas
Instituit; prisci sic docuere Patres,
Junge hederam violis; myrtum subtexe ligustris;
Alba verecundis lilia pinge rosis.
Fundat inexhaustos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Assyrio sparsa liquore coma.
Grandia fumoso spument crystalla Lyaeo:
Et bibat in calices lapsa corona meos.
Post obitum non ulla mihi carchesia ponet
Acacus; infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

Majus. Calendis Maji celebritas habebatur, quae *Majuma* dicta est: in ea ad januas carorum atque amicorum flores & virides arborum ramos appendebant. *Decolor.* Sine colore ob deliciarum copiam. *Lapsa.* Elegans forma ad temulenti hominis gesticulationes exprimendas. *Acacus.* Infe-

Digitized by Google

Ferorum Judex. *Carchesia*. Ingens & ansatum poculum. *Falle*. Cibo & potu refice.

EPIGRAMMA X.

EJUSDEM PROPE ARGUMENTI.

AUreli perfunde meis unguenta capillis
Tu super & vernas sparge, Nearche, rosas.
Sed prius aestivum ramis defendite Solem;
Et viridi mollem sternite fronde torum.
Non plumae, non picta juvant me stragula, nec quae
Pavonis vario sponda colore nitet.
Larga coronata disponite pocula mensa;
Setino & gelidas associate nives;
Certatimque leves potanti inducite somnos.
Sic juvat aetatis ducere fila meae.
An scimus miseri quid lux ventura minetur?
Vivamus: mortem fallere nemo potest.

Defendite. Arcete, prohibete. *Sponda*. Extremitates mensarum variis volucrum pennis alioque cultu ad speciem ornabantur. *Coronata*. Florum, odorumque copia ornata. *Inducite*. Cantu & sono. *Fallere*. Fugere aut morari.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XL.

DE URBE VENETA.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Jupiter, arces
Objice, & illa tui moenia Martis, ait.
Si Pelago Tibrim praefers; Urbem aspice utramque:
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

Tarpejas. Romanas. *Tibrim.* Quemadmodum mari fluvium praeferre non potes, ita nec Venetiis Romam. Pulchrum hoc epigramma munifice praeclarus Senatus muneratus est, nam pro singulis versibus tria millia sestertiorum Poetae solvi jussit.

EPIGRAMMA XII.

DE VENERE, ET DIANA.

Incultam aspiciens silvis Cytherea Dianam,
Risit; & an tendes retia semper? ait.
Cui Dea casta: feris cur non ego retia tendam?
Tendere si potuit vir tuus illa tibi.

Incultam. Ut quae venationi & labori, non deliciis & luxui, vacat. *Vir.* Vulcanus, qui Venerem cum Marte deprehensam in rete ambos conclusit, & Deorum risui expositi.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XIII.

IN TUMULUM LADISLAI REGIS NEAPOLITANI.

Miraris niveis pendentia saxa columnis,
Hospes, & hunc, acri qui sedet altus equo?
Quid si animos, roburque Ducis, praeclaraque nosses
Pectora, & invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis dejecit sedibus hostem:
Bisque triumphata victor ab Urbe redit.
Italiamque omnem bello concussit, & armis:
Intulit Etrusco signa tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix;
Ante suos vidit Gallica sceptra pedes.
Cumque rebellantem pressisset pontibus Arnum;
Mors vetuit sextam claudere Olympiadem.
I nunc regna para, fastusque attolle superbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

Pendentia. Ladislai simulacrum vides. *Pectora.* In bellis ardorem. *Dejecit hostem.* Romanos ipsos Bonifacio IX. rebellantes, quod Ladislaum tueretur contra Gallos. *Bis.* Primum rebellantem Pontifici, deinde a Ludovico Andegavensium Duce obsessam. *Italiam concussit.* Tot praeliis in Regno Neapolitano, ut se defenderet a Ludovico Andegavensium Duce in Pontificem Romanum, in Florentinos, in alios. *Mari Etrusco.* In Ostia Tiberina ad ipsam Romam, ubi victor exceptus est. *Latio diademate.* Neapolitano, ac totius Italiae, licet id affectavit, non obtinuit. *Gallica sceptra.* Nam saepius fudit Ludovici Andegavensis exercitus, num-

Digitized by Google

numquam attrivit. *Rebellantem Arnum*. Ut Poeta, non ut hi
storicus dicit; nam a Florentinis repressus, & pulsus est a
jorum hostium victor. *Sextam Olympiadem*. Annos 24. m
23. vix excedens obiit.

EPIGRAMMA XIV.

TUMULUS MAXIMILLAE.

Hic, hic siste, precor, gradum, viator,
Hoc sub marmore Maximilla clausa est,
Qua cum frigiduli jacent amores,
Et lusus, Venereique, Gratiaeque.
Hanc illi miserae severa Clotho
Pro dulci thalamo domum paravit.
Has matri dedit, has patri querelas
Pro plausu, chorcisque nuptiarum.
Quid firmum tibi, quid putes, viator,
Mansurum, inviolabile, aut perenne?
Si quae deliciae juvenculorum,
Et decus fuerat puellularum,
Nunc heu! jacet ecce Maximilla,
Luctus perpetuus juvenculorum,
Aeternae & lacrymae puellularum?

Maximilla. Nobilis ac princeps Puella admodum juven
mortua. *Clotho*. Una Parcarum pro morte. *Matri querela*
Doloris causam moriens cum nobili loco collocata, & pr
clare faciens gaudium fuisset. *Quid firmum putes?* Praec
ra interrogatio. Si quod mansurum natura erat, impro
per-

Digitized by Google

riit quid permanent? & ab juventutis flore, & roboris
l rerum fragilitatem evincendam firmiſſimum ac tenerri-
um eſt argumentum. *Decus puellularum.* Pulcherrima
iim, & integerrima una decus eſt reliquarum, licet illae
terdum de forma certent. *Nunc jacet.* Miram habet vim,
affectionis magnitudinem haec rerum immutatio, dum
otentiſſimum fit miſerum, pulcherrimum jacet. Haec imi-
re, aut certe guſta.

ANDREAE NAUGERII.

EPIGRAMMA XV.

VOTA CERERI PRO TERRAE FRUGIBUS.

ASpice magna Ceres tibi quos ſemente peracta
Ducimus agreſtes ruſtica turba choros.
Tu face, ne nimio ſemen putreſcat ab imbre:
Neu ſulcos rapido frigore rumpat hiems:
Neu ſterilis ſurgat ſilva infelicis avenae:
Et quaecumque bonis frugibus herba nocet.
Neu terrae proſtrata animoſi flatibus Euri
Decidat, aut denſa grandine laeſa ſeges.
Neu direpta avidae rapiant frumenta volucres,
Monſtrave, quae terrae plurima ſaepe ferunt.
Sed quae credidimus bene cultis ſemina campis,
Uberius largo foenore reddat ager.
Sic erit. Interea nivei carcheſia lactis
Fundite, & annoſo mella liquata mero;
Cerque ſatas circum felix eat hoſtia fruges;
Caeſaque mox ſanctos corruat ante focos.

Nunc

Digitized by Google

Nunc satis haec: post messem alii reddentur honores
Et sacras cingent spicea serta comas.

Rumpat. Urat, consumat, extinguat. *Animosi.* Validi, furiosi, impotentis. *Monstra.* Mures, talpae, curculi, caeterae pestes. *Nunc satis.* Pulchre & pie: vota & praedicante impetratum beneficium.

EPIGRAMMA XVI.

INVITATIO AD AMOENUM FONTEM.

ET gelidus fons est, & nulla salubrior unda,
Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent Soles frondentibus alni:
Et levis in nullo gratior aura loco est:
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est:
Exustusque gravi sidere fervet ager.
Siste, viator, iter: nimio jam torridus aestu es:
Jam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu languorem, aestum aura, umbraque virenti,
Perspicuo poteris fonte levare sitim.

Gelidus. Nihil hic lucem aliquam desiderat, multa imitationem.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XVII.

RUSTICI HOMINIS RUSTICIS DIIS VOTA, ET DONA.

Dat Cereri has Thelesson spicas, haec serta Lyaeo,
Haec nivei lactis pocula bina Pali.
Pro quibus arva Ceres, vites fecundet Jacchus:
Sufficiat pecori pabula lacta Pales.

Cereri. Decore omnia offeruntur: Cereri frugum inventrici spicae, Baccho serta in conviviis adhiberi solita, Pali pastori Deae lac.

EPIGRAMMA XVIII.

DE PYTHAGORAE SIMULACRO.

Quem toties vixisse anima redeunte renatum
Mutato fama est corpore Pythagoram:
Cerne iterum ut docti caelo generatus Asylae
Vivat, ut antiquum servet in ore decus.
Dignum aliquid certe voluit: sic fronte severa est:
Sic in se magno pectore totus abit.
Posset & ille altos animi depromere sensus:
Sed veteri obstrictus relligione silet.

Redeunte. Admisit Pythagoras animarum post unum relictum in alia corpora commigrationem, quam metempsi-

co-

Digitized by Google

cosim appellavit. *Asylae*. Sic poetice Pythagorae patrem appellat, qui Mnestarcus fuit. *Relligione*. Qua quinque annos Auditores suos silere voluit, ut audita perpenderent.

EPIGRAMMA XIX.

IMAGINEM SUI HYELLAE MITTIT.

QUam tibi nunc Jani donamus, Hyella, calendis,
Exprimit haec vultus parva tabella meos.
Nulla fuit cuiquam similis mage: pallet imago:
Assiduus nostro pallor in ore sedet.
Est excors: sine corde & ego; quod pectore nostro
Ipse amor ereptum sub tua jura dedit.
Non loquitur: mihi sic tua cum datur ora tueri
Torpet nescio quo lingua retenta metu.
Unum dissimile est nobis; felicior uno est,
Tam saeva quod non uritur illa face.
Quod si etiam uretur, tuo enim sub lumine quidquam
Illaesum flammis non licet ire tuis:
Non, ut ego, assiduo infelix terrebitur igne:
In cinerem primo corruet illa foro.

Jani. Calendis Januarii, cum Amici Amicis dona mittebat. *Sine corde*. Amantium cantilena, & re ipsa eorum mos & vita, amare enim, & sapere vix conceditur.

EPI-

Digitized by Google

JOANNIS COTTAE.

EPIGRAMMA XX.

SE LYROIDE ABSENTE PROPE EXANIMATUM.

O Factum lacrimabile atque acerbum!
Nunc certe lacrimaberis Lycori;
Digna res lacrimis tuoque luctu.
Namque lumina nostra, lumina illa,
Illa lumina, quae Lycori amabas,
Quae tuis solita anteferre ocellis,
Non sunt, o mea lux, amanda ut ante,
Non sunt lumina, sed malae tenebrae.
Illa, ut impia fata te Lycori
Abstulere, mihi, tuoque longe
Me a vultu voluere abesse caro,
In rivos abiere lacrimarum:
Quodque amarius, atque praeter omnem
Lacrimabile cogitationem,
Quantumcumque habuere lacrimarum,
Jam pridem evomuere: nunc ad ipsum
Ventum est sanguinem, ab intimoque cordis.
Ducto flumine turgidi horridique
Sanguinem lacrimanti miselli ocelli
Et cum sanguine amata diffluit lux,
Ac sic enecuere seque meque,
Dum meum miseri igneum furorem
Quaerunt diluere & rigare mentem.

Heu

Heu mentem, Enceladi, Typhoeique
Aeſtuoſa anima aeſtuoſiorem.

Tuo luctu. Ut quae exitium hoc intulisti. *Tenebrae.* Ex animi dolore, & mentis caecitate. *Abſtulere.* Ad alia loca & a me remota abduxere. *Sanguinem.* Omni humore & lacrimarum copia abſumta, *Lux.* Ipſa facultas videndi. *Enceladi.* Encelado ac Typhoeo, qui fulmine ambusti ſunt, aridior mihi mens eſt. *Aeſtuoſa.* Ambusta, arida, ſpongia ſicciore.

EPIGRAMMA XXI.

AD AMICOS, UT ABSENTIS MEMORES VIVANT.

JAm valete boni mei ſodales
Naugeri optime, tuque amice Turri
Vere candidi, & optimi ſodales,
Quos numquam ſat amaverim, licet vos
Quam fratres mage, quamque me ipſum amarim.
Quibus perpetuum furi per aevum,
Vota ſi mea Dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas,
Quod quanto cumulatius futurum eſt
Una ſi liceat mihi beatis
Veſtri colloquiis adeſſe Bembi.
Verum dura neceſſitas repugnat,
Invitumque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores meo eſſe veſtri

Fi-

Digitized by Google

Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animae meae reliqui.
Jam valete boni mei ſodales.

Naugeri. Andream Naugerium, & Jo: Baptiſtam Turrianum appellat ſummos ejus aetatis viros. *Bembi*. Hoc proprium ac perpetuum habuit Bembus, ut omnes litteratos unquam fratres exciperet, deque litteris praeclare cum iis ageret, illi vero eum tamquam Magiſtrum audirent.

M. ANTONII FLAMINII.

EPIGRAMMA XXII.

LIBELLUM SUUM FRANCISCO TURRIANO PATRICIO VERONENSI OFFERT.

ECce Flaminii tui libellum,
Candidiſſime Turriane, quem nos
Donamus tibi jure, quando nemo
Tantum nos amat, aut amavit umquam.
Neque hoc munere, quod mihi dederunt
Formoſae manibus ſuis Camoenae,
Dum colo Aonios puer receſſus,
Poteſt dignior illus eſſe quam tu,
Quem Phoebus pater & novem Sorores
Amant non minus ac ſuos ocellos.
At vos Numina cara Turriani

Digitized by Google

Famam cum lepido meo libello
Servate incolumem perenne in aevum.

Dederunt Camoenae. Ita praedicant Poetae, se a Musis divinoque numine afflatos canere quae canunt; Flaminius certe peculiari jure praedicat. *Puer.* Non aetatis florem hic significat, sed quasi Camoenarum ministrum. *Numina.* Phoebus ac Musae.

EPIGRAMMA XXIII.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

Pulchrae Najades, bonique Fauni
Dilectum Juvenem vocate ad istas
Mecum delicias: ades Quiritum
Alexander ocelle, sat tulisti
Dura frigora, sat graves calores,
Et casus varios periculorum,
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, & rapacis unda
Rheni, te Liger, & Garumna vidit
Iratos properantem adire Reges,
Et componere bella, foederumque
Leges dicere, te feras per alpes
Nuper terrificis euntem in armis,
Faunique stupuere Oreadesque,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas, tremendus oras,

Et

Digitized by Google

Et magnum Carolum tuo labantem
Firmas praesidio, truceſque noſtris
Agris Teutonicas minas repellis.
Sed jam deſine, jam ſatis laborum
Pro cara Italia ſubiſti, omitte
Curas Urbis, & Orbis, aeſtuoſa
Dum Canicula ſaevit, otiumque
Praefer dulce negotiis, ut alti
Virtus Scipiadae ſolebat olim
Facilitare tumultuoſa Romae
Linquens moenia ter quaterque in anno.
His quieſce parumper, his moleſtis
Te furare laboribus, licebit
Horas fallere fervidas legendo
Muſae verſiculos Horatianae,
Et quae Maeonides ſacer, ſacerque
Canit Virgilius, licebit antra
Et fontes gelidos adire, riſus
Et joci comites procul fugabunt
Curas triſtitiamque, nec pudebit
Modo incompoſitos videre motus
Saltantis Pholoe: modo aſſidere
Canenti Meliboeo, aves tenaci
Viſco fallere, piſcibus juvabit
Dolos tendere vitreis ſub undis.
Nec cervi, leporeſve, capreaeve
Abſunt, accipiterque copioſas
Hic praedas agit, omnibus venuſtis
Rura denique gaudiis redundant.
Ergo moenia Romuli, & ſevera
Cunctа deſere, ſed cavebis illas
Turbas innumerabiles clientum

Digitized by Google

Tecum ducere ; ſit comes Maphaeus,
Et Mirandula, Romuluſque docti
In primis homines bonique, ad illos
Addantur alii viri elegantes,
Sed pauci tamen, haud beata guſtes
Ruris commoda, ni ſuperfluentes
Pompas Urbis in Urbe derelinquas.

Ad iſtas. Amoenitates ruris. *Ocelle.* Deliciae atque ornamentum. *Tagus.* In Hiſpaniam, Germaniam, & Galliam legationes obivit Chriſtianos Principes conciliaturus adverſus Turcas atque Haereticos. *Vindelicas.* Cum ſatis magno exercitui praefectus auxilium afferret Catholicis in Germania contra Haereticos. *Scipiadae.* In ſua rura ſe conferebat, ut in otio de negotiis cogitaret. Vide Cic. 3. fin. cap. 1. *Meonides.* Homerus. *Maphaeus.* Maphaeus Vegius inſignis a Poeta, cujus etiam nunc exſtant carmina. *Mirandula.* Jo: Picus e Mirandulae Ducibus ingeniorum phoenix appellatus. *Romulus.* Romulus Amaſaeus, cujus ſcripta exſtant.

EPIGRAMMA XXIV.

HIEMIS ADVENTU SE IN URBEM RECIPIT.

JAm bruma veniente praeterivit
Aeſtas mollior, & cadunt ab altis
Frondes arboribus, tepor Favoni
Immanes Boreae furentis iras
Formidans abit, illum agri voluptas

Ca-

Digitized by Google

Canorae volucres ſequuntur: ergo
Et nos dulcia rura deſeramus,
Dum ver purpurea coma decorum
Reducat Zephyri tepentis auram.
Horti deliciae meae valete,
Fontes luciduli valete, ſalve
Mihi villula carior ſuperbis
Regum liminibus: recedo, ſenſum
Sed meum hic animumque derelinquo.

Mollior. Temperati autumni dies. *Velucres*. Quae partim in calidiores terras a noſtris abeunt, cunctae ſilent. *Purpurea*. Arborum floribus atque arborum.

EPIGRAMMA XXV.

DE URBE MANTUA.

FElix Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Palladi certat uſque & uſque
Claram reddere gentibus, probiſque
Ornare ingeniis virorum, & armis.
Te frugum facilis, potenſque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa calamiſque flexuoſus
Leni flumine Mincius ſuſurrat,
Et qui te lacus intrat, adveniſque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid Deorum

Digitized by Google

Templa, quid memorem vias, & urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax ſecura loco, quieſque nullis
Turbata exſiliis, frequenſque rerum
Semper copia & artium bonarum.
Felix Mantua, centieſque felix!
Tantis Mantua dotibus beata;
Sed felix magis & magis beata,
Quod his temporibus rudique ſaeclo
Magnum Caſtaliona protuliſti.

Ocelle. Ornamentum Italiae, quod ejus eſt arx munitiſſima, & Civium nobilium copia inſignis. *Mincius*. Qui ad eam urbem fluit. *Lacus*. Qui eam ad magnam latitudinem circumdat, ipſiuſque ingens praeſidium eſt. *Exſiliis*. Numquam ab hoſtibus vi capta, idcoque nec Cives ſedem coacti mutare. *Caſtiliona*. Balthaſſarem Caſtilionem egregium Scriptorem.

EPIGRAMMA XXVI.

OPTAT RURIS SUI AMOENITATE FRUI.

Umbrae frigidulae, arborum ſuſurri,
Antra roſcida, diſcolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphae, garrulae aves, amica Muſis
Otia, o mihi ſi volare veſtrum
In ſinum Superi annuant benigni,
Si dulci liceat frui receſſu,

Et

Digitized by Google

Et nunc ludere versibus jocosis,
Nunc somnum virides sequi per umbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteoque liquore membra sicca
Irrigare per aestum, & aestuosis
Curis dicere plurimam salutem,
O quae tunc mihi vita, quam beata,
Quam vitae similis foret Deorum!
At vos, o Heliconiae puellae,
Queis fontes, & amoena rura cordi,
Sic cara mihi luce cariores
Estis, jam misereseite obsecrantis,
Meque urbis strepitu tumultuosae
Ereptum in placido locate agello.

Discolore. Admodum diverso, ideoque pulcherrimo. *Loquaces.* Immurmurantes, dum inter saxa leni cursu feruntur. *Salutem.* Quasi salutatas expellere, & jubere eas procul abire. *Tumultuosae.* Officiorum negotiorumque mole conficientis.

EPIGRAMMA XXVII.

DE HORTIS BLOSII PALLADII.

BLosi villula ter quaterque felix,
Felicissimi hortuli Poetae
Venusti, teneri mei sodalis,
Quo vivente sales, joci, lepores

Digitized by Google

Vivent, ac pereunte diſperibunt.
Ille molliculam ſuam Turundam
Vos docet reſonare, vos jocis
Laudantem hendecaſillabis odoro
Fovetis gremio, relicta Apello
Cyrrha, Piericleſque vos frequentant,
Ex quo deliciae ſuae ſuique
Amores Bloſius vireta veſtra
Cyrrhae praetulit Aonique monti.
Quid mirum bona rura, ſi feratis
Dulci nectare poma dulciora?
Has dulciſſimus omnium Poeta
Plantulas manibus ſuis feraces
Sevit, inſerit, & colit, ſuoque
Muſeo aſſidue ligat lepore,
Hoc perfuſa lepore tam venuſtos
Flores, tam varios benigna tellus
Paſſim fundit humo, hoc lepore eodem
Fontes luciduli, antra opaca, amoenum
Nemus, tectaque pulchra condiuntur,
Ut omnes Venereſque Gratiaſque
Hortis omnibus omnibuſque villis
Omnino videamini abſtuliſſe.
Hortuli nimis & nimis beati,
Tuque villula ter quaterque felix.

Bloſi. Clarus Poeta illius aetatis, cujus adhuc carmina exſtant. *Turundam*. Hanc offam ſeu farcimen ad alliciendas aves, ejuſque uſus molliſſimis verſibus Bloſius complexus eſt. *Muſeo*. Molliſſimis ſuis verſibus canit. *Condiuntur*. Hilarantur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXVIII.

CUM ILLUSTIUM POETARUM CARMINA CARDINALI FARNESIO OFFERRET.

Farnesi pater omnium leporum
Hos tibi lepidissimos Poetas
Dono, tempora quos tulere nostra,
Fortunata nimis, nimis beata
Nostra tempora, quae suos Catullos,
Tibullos, & Horatios, suosque
Marones genuere. Quis putasset,
Post tot saecula tam tenebricosa,
Et tot Ausoniae graves ruinas
Tanta lumina tempore uno in una
Tam brevi regione Transpadana
Oriri potuisse? quae vel ipsa
Sola, barbarie queant fugata,
Suum reddere litteris Latinis
Splendorem, veteremque dignitatem?
Salvete o decus, o perennis aevi
Nostri gloria candidi Poetae,
Quos novem in tenero suo Sorores
Nutrivere sinu, suoque digna
Choro Castalio loqui dedere.
Vos, & carmina vestra sempiterno
Urbes Italiae colent honore.

Vos

Digitized by Google

Vos & Gallus, Iberque bellicosus,
Et Germania docta, Sarmataeque
Mirabuntur, & ultimi Britanni,
Erit dum Latiis bonor Camoenis.
Quin ultra Oceanum, alteroque in orbe
Vos discent populi, quibus redit lux
Aurora exoriente, cum nigrescit
Aer jam tenebris sub axe nostro;
Nam mirabile dictu, in iis quoque oris
Nunc linguae studium viget Latinae.
At tu floscule Remuli nepotum,
Quem Phoebus Pater & Minerva doctis
Certatim artibus expolire gaudent,
Alexander habe tibi hunc libellum
Venustum, lepidum, tuasque laudes,
Istis quae celebrantur a Poetis,
Aeternas fore scito: nam manebit
Aeterno aureolus libellus aevo.

Pater. Omnis humanitatis, gratiae, & hilaritatis ubique plenissimus. *Hos Poetas*. Petrum Bembum, And. Naugerium, Balthassarem Castilionem, Jo. Cottam, M. Antonium Flaminium qui uno libello editi sunt. *Post tot*. Ad undecim saecula; hoc est a Christi anno 400. aut certe ab 800. ad 1400. *Tot ruinas*. Post tot Hunnorum, Gothorum, Alanorum, aliarumque barbararum gentium in Italiam irruptiones. *Quibus redit lux*. Antipodae. *At tu*. Cardinalis Farnesi.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXIX.

AMICUM, ROGAT, UT DOMINO SUO EJUS AMORE GRATIAS AGAT.

A Baldino tuo ſodali amato
Poteſt quantum ab amico amari amicus,
Munus hoc mihi da, tui ut Patroni
Divini Juvenis manum oſculeris
Meo nomine; maximaſque grates
Agas, quod decumas mihi quotannis
Pro ſua eximia benignitate
Remittit, licet ipſe nec ſalutem
Eum more clientium bonorum,
Nec quicquam faciam, queat quod ipſum
Admonere, meam ut velit benigna
Mente pauperiem juvare: nempe hoc
Magnus Sforziades movetur uno,
Quod me nec putat improbum, nec eſſe
A Muſis alienum, amore quarum
Ardet maximo, ut omnium eſt amator
Ardentiſſimus elegantiarum.
Quare cum nequeam invenire verba
Infantiſſimus omnium Poeta,
Quae tantis meritis rependam, amice
Diſertiſſime, quod ſupra rogavi,
Id quaeſo facito, tuique vive
Semper Flaminii memor, valeque.

Ubaldino. Ubaldinium Bandinellium Senenſem Patricium & Guidi Aſcanii Sforziae Cardinal. familiarem. Patro-

Digitized by Google

troni. Guidi Ascanii Sfortiae Cardinal. *Decumas*. Egregiae pecuniae multitudinem mihi donat.

EPIGRAMMA XXX.

AMICIS ALEXANDRI FARNESII RECUPERATAM VALETUDINEM GRATULATUR.

Gaudete o lepidi mei sodales
Omni jam posito dolore, venit
Tandem nuncius optimus, Patronum
Salvum & incolumem redire nostrum,
Quem rumor malus Italas per urbes
Divulgaverat esse jam dolore
Confectum lateris, malaque febri,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petit Vindelicas tremendus oras.
At tibi male sit molestе rumor,
Qui nos sollicito diu timore
Vexasti: ex cito patriam reviset
Alexander, & omnium Quiritum
Plausus, gaudia, gratulationes
Laetus excipiet, manusque caras
Nobis jam dabitur deosculari.
O pulcherrime Sol tuo nitente
Curru fer cito moenibus Quirini
Hunc diem niveum & nimis beatum.

Legionibus. Pontificio exercitui Praefectus in Germania contra Hereticos rebelles. *At tibi*. Imprecandi formula.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXI.

AD JO: CASAM.

Disertissime Casa, quem libellum
Legendum dederas mihi, relegi
Saepe ac saepius, & tamen legendi
Is desiderium mihi reliquit;
Nec mirum, siquidem tuus libellus
Tam doctus, numerosus, eleganſque est,
Ut scriptus videatur aureo illo
Saeculo Ciceronis, atque ab ipso
Divino Cicerone; nec profecto
Vivet iste minus diu libellus,
Quam libri Ciceronis. ergo Casa
Disertissime perge, saeculumque
Nostrum orna aureolis tuis libellis.

Libellum. Qui *Galateus* inscriptus est. *Saepe ac saepius.* dicium optimi libri: libellus certe ille e manibus numam dimittendus. *Perge.* Quod & fecit clarissimus ille riptor.

EPIGRAMMA XXXII.

UBERTO FOLIETTAE IN PATRIAM REDEUNTI.

Bis ad patriae lares beatos,
Et desiderium tui relinques

Ma-

Digitized by Google

Maximum unanimi tuo ſodali;
Nam quo tempore noſtra cara cepta
Eſt amicitia, & ex eo medullis
Mihi carior es meis eriſque,
Senſus dum mihi erit amoris ullus,
Propter ingenium tuum tuoſque
Mores & ſtudia Artium bonarum,
Et Stylum Ciceronе paene dignum,
Et plane Ciceronе mox futurum,
Vitalis modo ſis, Uberte, dignum.
Ibis tu procul, & tamen manebis
Meo in pectore fixus, & juvabit
Idem credere de tuo in me amore.
Quod te per lacrimas, amice, amaras,
Quae fluunt oculis tuis meiſque,
Per ſi qua eſt tibi cura noſtri, id oro,
Cito Urbem repete, & tui miſelli
Sodalis miſerere, quem relinquis
In luctu & tenebris tuo receſſu.

Patriae. Genuae. *Paene*. Nam tum adoleſcens ſtudiis Romaniae abſolverat. *Mox*. Vaticinatus vere: nam Reip. Genuenſis hiſtoriam, & alia multa inde egregie ſcripſit. *Vitalis*. Modo vivas.

EPIGRAMMA XXXIII.

MARIO BANDINIO SE CITO AFFUTURUM SIGNIFICAT.

Quod ſum pollicitus tibi futurum
Me tecum cito, id exequar diebus

Par-

Digitized by Google

Paucis, si mihi faverint benigni
Caelites: reliquum est, ut ipse in urbe
Interim manbas, agellulumque
Tuas delicias sinas valere,
Usque dum veniam, tuoque dulci
Fruar colloquio facetiisque,
Nec Germanicus absit ille bellus,
Et doctus puer, optimoque Patre
Dignus filius: hic mihi trecentos
Versus Maeonidae volo Maronis
Explanet varia locutione.
Tu Germanica bella Caesarisque
Narrabis mihi clara facta, quorum
Ipse non quotacumque pars fuisti.
A me carmina Davidis Tridenti
Expressa accipietis, & juvabit
Hymnos dicere versibus Latinis.
Decem continuos dies manere
Tecum cogito, eaque lege tantum
Utar hospitio tuo, morari
Ne plus quam volo sit mihi necesse,
Quod jam praemoneo, satis superque
Amoris violentiam impetumque
Tui cognitum habens; sed audi, amice,
Quam bonam hospitibus bonis Homerus
Legem sanciat. Hospitem caveto
Hospes neve manere, neve abire
Cogas, in vitio pari est utrique,
Urgentem remorans, moranem adurgens.
Hoc viros decet elegantiores
Praeceptum memori tenere mente,
Nec umquam violare: tu venuste

Ma-

Digitized by Google

Mari, dum venio, vale, meoque
Fratrem nomine candidum saluta.

Germanicas. Marii praeclarae indolis filius. *Explanet.* Referat Homeri versus Virgiliano stilo. *Bella.* Quibus Caroli V. Dux interfuerat. *Non quotacumque.* Non minima. *Tridenti.* Cum Tridenti in aula Cardinalis Poli Concilio adesset triginta primos Psalmos Davidis latinis versibus reddidit, ut tanto consessu dignum aliquod scriberet.

EPIGRAMMA XXXIV.

AMICUM AD RUSTICATIONEM INVITAT.

STrozzam Flaminius suum salutat
Benaci liquidam jacens ad undam
Sub myrto benecolente, dum superbae
Terit limina Principum miselius
Strozza, tunc molesta in urbe semper
Inclusus, variis agri beati
Numquam deliciis fruere? numquam
Ruris gaudia noveris? miselle
Rumpe obstantia claustra, rumpe lentas
Moras, si sapis, optimumque amicum
Vise, hic Virgilium tuum meumque
Catullum vacui legemus, hic tu
Cultis versiculis canes amoenos
Hortos, & vitrei lacus decentes
Nymphas, me citharae bonum Gibertum

Ju-

Digitized by Google

Juvat dicere, cujus hic agellus
Mihi munere partus: hunc agellum
Ille donat habere, quo nec alter
Baccho & Palladi gratior, nec alter
Musis otia & abditos recessus
Praebet commodius, modo haec benigni
Faxint propria dona Dii: talenta
Croesi despicio Midaeque acervos.

Strozzam. Ludovicum Strozzam Patricium Mantuanum, & satis nobilem Poetam alloquitur. *Benaci*. Prope Cormi lacum in regiis villis Ducum Sfortiadum. *Gibertum*. Matheum Gibertum Veronae Episcopum a Summis Pontificibus ad maximas res adhibitum. *Hic agellus*. Villulam suam Flaminio utendam Gibertus concesserat.

EPIGRAMMA XXXV.

PETRO VICTORIO LIBELLOS EDITOS GRATULATUR.

Victori tibi plurimum fatemur
Nos debere, quibus tuo labore
Hic Aristotelis libellus artem,
Et mysteria Rhetorum recludens
Explanatur ita apte & eleganter,
Ut quem aegre unus & alter eruditus
Intellexerat ante, ineruditi
Te docente queant labore nullo
Nunc intelligere: ergo jure cuncti

Digitized by Google

Indocti simul atque docti amamus
Te de hoc munere, maximaque semper
Labori tuo & eruditioni,
Rhetor maxime, gratias agemus.

Libellus. Tres libri Aristotelis de Rhetorica, quos latine convertit, & commentariis illustravit. *Misteria.* Praecipua eloquentiae capita non ita aperte ab Aristotele explicata.

EPIGRAMMA XXXVI.

AMICUM RUS INVITAT.

Quid o candide amice semper ista
Juvat vivere in urbe cursitando
Nunc per limina Principum superba,
Nunc subsellia Judicum terendo?
Ormanete fugit levis juventa
Ventis ocyor, & subit senectus
Curva, quam sequitur ferox tenebris
Mors operta, nec illius furorem
Arcet nobilium favor, clientem et
Patronum rapit illa, amice quaeso
Vive, dum licet, otioque dulci
Ruris elue amara civitatis.
Si gustare mei semel quietem
Agelli potes, & periclitari
Quam sit suave tumultuosa ab urbe
Semotum sibi vivere, otiosa

Num-

Digitized by Google

Numquam sit mihi vita, ni Porcetum
Fortunasque, domosque, gratiasque
Arbitrabere vix pili aestimandas.
Tunc dices, nihil est profecto mirum,
Meus Flaminius quod esse laetus
Fortuna exigua, brevique censu
Audet, nil populi leves honores
Curans, nil rutilos Midarum acervos.

Ormanetus. Hic est Nicolaus Ormanetus Veronensis Cardinal. Polo, tum Cardin. Naugerio in Concilio Tridentino secretarius. *Per limina*. Aditum, gratiam, & dona Principum venandó. *Subsellia*. Magno studio ac labore judicia exercendo aut depreçando. *Midarum*. Ingentes thesauros magnorum Regum.

EPIGRAMMA XXXVII.

AEGER AB AMICO MORBI ET CURARUM PONDERE LEVARI PETIT.

Fraſtori venerande, cui medendi
Uſum pulcher Apollo, carminiſque
Artem donat habere, nonne cernis,
Tuum Flaminium perire dira
Tabe? non recreat cibus miſellum;
Non grata vigilos quiete ocelli
Teguntur, macie vidos ſuprema
Corpus confici, ut umbra inanis eſſe
Jam plane videar, modiſque miris

Digitized by Google

Pallor occupat ora, languidoſque
Artus vix trabo, nec juvare poſſunt
Dulci carmine candidae Camoenae,
Nec blande alloquio boni ſodales.
Ipſa ſed mihi lux amara, & atrae
Noctis tempora ſunt amariora
Felle, & Teſſaliae malis venenis.
At tu candide amice vel ſodali
Fer tuo auxilium, vel ipſa morbi
Si vis tabifici recepta venis,
Humanis opibus, magiſtrae & arti
Neſcit cedere, carminum tuorum
Lepores advoca, Apollinem rogaque,
Ne prima miſerum ſinat juventa
Tam crudeliter interire: cur ah!
Cultorem patitur ſuum ſub ipſo
Flore aetatis abire maeſtum ad umbras
Pallentes Erebi? quid ergo prodeſt
Vita puriter acta? nunc miſello,
Nunc o ſubvenias Apollo ſancte,
Et preces teneri tui Poetae
Audi dexter, opaca ſive Cynthi
Umbra, ſive Heliconii receſſus
Te tenent nemora aureo ſonantem
Plectro carmina, quae beata lauri
Diſcit ſilva: ades o Deum voluptas,
Ades numine dextro, & imminentem
Orcum jam capiti meo repelle,
Ut Fraſtorius ob ſuum ſodalem
Salvum & incolumem tibi rependat
Mille carmina, te canens, tuamque
Matrem & virgineos tuae Sororis

Mo-

Digitized by Google

Mores, & ſtudia, & pharetram, & arcum, et
Currum noctivagum aurea inter aſtra,
Quo ſe condita Diva fert Olympi
Per campos, lavis ipſe ſub rubente
Feſſas Oceano tuas quadrigas.

Fraſtori. Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis eximius Medicus & Poeta. *Tabe.* Aeſtuantis & conficientis morbi ri. *Venenis.* Veneficiis, quae a maga vaferrima, qualis Theſſaliae & Colchicae, confecta torquent ac necant. *Orum.* Mortem, ex eaque ad Inferos deſcenſum. *Sororis.* Dianae.

EPIGRAMMA XXXVIII.

STEPHANO SAULIO PATRICIO GENUENSI AMOREM SUUM TESTATUR.

NE ſibi ſim carus, Sauli cariſſime, ni te
Plus amo quam natum mater amare ſolet.
Et merito, [quis enim te dignior alter amari?
Aut quid amore tuo dulcius eſſe poteſt?]
Quaerat opes alius, magnos ſibi quaerat honores:
Tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

Ne ſim. Nihil omnino a te diligar, niſi te plurimum diligo. *Et merito.* Egregia animi ſignificatio, qua ſe non aliunde, ſed ex meritis amare oſtendit.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XXXIX.

AGELLUM SUUM INVITAT, UT FARNESII LAUDES COMMEMORET.

Umbriferae platani, & formosae cypariſſi,
Antraque muſcoſis roſcida pumicibus.
Non mea vos Nymphas reſonare docebit avena
Amplius, ad cantum me vocat alter amor.
Farneſi virtus mihi dulcem in pectore flammam
Suſcitat, hunc ignem dulcis avena canet.
Vos nomen Juvenis divini diſcite, laudes
Semper & illius pulcher agelle ſona.

Formosae. Formosas appellat cypariſſos ob pulchritudinem Cypariſſi in eas arbores conversi. *Flammam.* Divinum afflatum, & canendi argumentum.

EPIGRAMMA XL.

AD ALEXANDRUM CARDINALEM FARNESIUM.

Farneſi nomenque tuum, laudeſque ſonabit
Hoc nemus, & culti vallis amoena ſoli.
Dum potero meminiſſe, tuo quod munere dives
Muſus, & Muſis otia grata colo.

Hoc nemus. Villa a te mihi donata. *Muſis.* Donis ac praemiis affectus ſtudia impenſius colo.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLI.

AD EUMDEM.

Pauperies hominum fera peſtis & ira Deorum
Excruciare malos nata bonoſque ſimul,
Quaere alias ſedes, nam te Farneſius heros
Amplius in noſtra non ſinit eſſe domo.
Ecce venit properans pleno laetiſſima cornu
Copia, quam ſequitur dulcis & alma quies.
Illa timere famem diram vetat, altera mandat,
Ut Phoebo & Muſis otia digna colam.
Magnus Alexander magna haec qui donat habere,
Jure mihi magni Numinis inſtar erit.

Peſtis. Cruciatus ſemper, ſaepe praeclare agendi impedimentum, ac ſcelerum cauſa. *Ira*. Vindicta, ita egeſtatem Virg. 6. Aen. v. 276. ad Inferorum januam collocavit. *Cornu*. Manu Amaltheae rerum omnium ubertatem fundentis, ſive cornu copiae.

EPIGRAMMA XLII.

AMICI MORTEM FALSO NUNCIATAM GRATULATUR.

ERgo candide Baſſiane vivis,
O cara mihi carior ſalute,

Digitized by Google

Jucundiſſime Baſſiane vivis?
Dulcis littera litteris notanda
Aureis mibi nuntias ne vere
Meum vivere Baſſianum? at illum
Rumor dixerat eſſe jam ſepultum,
Rumor peſſime pene me ſepulcbro.
Dediſti mala tanta nuntiando.
O factum bene Baſſianus ille
Phoebi delitiae, perire numquam
Dignus, en Superum benignitate
Vivit. Flaminio tuo ſuperſtes
Vivas o utinam venuſte amice,
Nec de te mibi fama tale quidquam
Poſt bac nuntiet, ipſe vitam in iſtam
Veni te prius, binc prius recedam,
Te ſpectem moriens, meos tu ocellos
Cara claude manu, piis Sepulcbrum
Humecta lacrimis, diuque vive,
Te ſuperſtite Baſſiane care
Non omnis moriar, meique magna
Pars vivet, mibi crede, adbuc ſuperſtes.

Baſſiane. Ulyſſes Baſſianus Civis Veronenſis. *Littera*. O laetiſſima epiſtola, quae ſuaviſſimum amicum vivere affirmas, refers vera? *Phoebi delitiae*. Egregia enim carmina ſcripſerat.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLII.

AMICUM HORTATUR, UT URBE DIMISSA SE RUS CONFERAT.

NE vivam, bone Ludovice, ni me
Et mei miseret tuique: nam quis
Deus, vel mala sors utrumque semper
Captivum tenet urbis in tumultu?
Si nos ambitio pecuniaeve
Augendae premeret sitis, tacerem;
Sed cum divitiis bonoribusque
Magnis otia praeferamus, ah cur
Romam praeferimus meo Lavino
Albinoque tuo? o venusti agelli
Musarum domus, & quies laborum
Tam longe mihi vita num manebit,
Ut meos satiare possim ocellos
Vestro dulci & amabili decore?
O tandem placida & beata rura
Nos carum accipite in Sinum, nec ulla
Vis avellere possit, hic & hoedo,
Et pomis, oleaque, pensilique
Uva nos alite, & simul supremum
Tempus venerit, ossa sub virenti
Lauru condite, qua fugit per herbas
Suavem rivulus excitans susurrum.

Ludovice. Ludovicum Beccatellum Civem Bononiensem laudat. *Otia*. Studiorum amorem & vitae tranquillitatem.

La-

Digitized by Google

Lavino. Villa Flaminii in agro Bononienſi. *Albino*. Villa Beccatellia in agro item Bononienſi.

EPIGRAMMA XLIII.

EJUSDEM ARGUMENTI.

Herculi mea Muſa fer ſodali
Haec bono bona dicta, quod Favono
Jam tepor rediit, tulitque ſecum
Dulcis tempora veris, urbe Roma
Tuus Flaminius relicta agellos
Suos viſere cogitat, paterna
Quos domus tua cernit, ipſe vero
Quid tandem facies? tumultu in iſto
Nimirum remanebis, & clientum
Magnis agminibus premere ſemper.
O tandem ſapias tibi, tuaeque
Vitae Conſule, non vides, ut aetas
Labitur fluvii rapacis inſtar,
Quem nives aluere? quid laboras.
Ergo divitias parare inanes?
Cum tantum patrimonii relictum
A tuo tibi ſit Parente, quantum
Eſt ſatis, ſine vulgus imperitum
Falſa imagine ludi, at ipſe, mentem
Cui Deus dedit expolire pulchris
Artibus, patriam reviſe caram,
Fratremque unanimem, bonoſque amicos,
Et dulci fruere otio, libellis
Parvis Virgiliique Tulliique

Mu-

Digitized by Google

Mutans magna volumina illa legum,
Quae laſſare valent feros gigantes,
Et vires adamante firmiores.

Herculi. Herculi Severolo Civi Faventino ſcribit. *Quos domus.* Paternae domui finitimos. *Falſa.* Ingentes divitias parandas eſſe exiſtimans, aut beatos qui eas paraverit.

EPIGRAMMA XLIV.

EGREGIAM FEMINAM SUOS LIBROS LEGERE PRAEGESTIT.

O Felix mea ter quaterque Muſa,
Cujus verſiculos puella Regis
Maximi Soror, utriuſque linguae
Peritiſſima cantat, hoc beato
Nuncio ſuper alta ſuſtuliſti
Caeli ſidera, Carneſece, carum,
Vetuſtum, unanimem tuum ſodalem.
I nunc peſſime livor, i libellos
Meos carpere perge, Margarita
Dum me judicio ſuo tuetur,
Vos tantum & maledicta veſtra curo
Mordaces critici, Libyſſa quantum
Latrantes Catuli leaena curam.

Soror. Margarita Henrici Gallorum Regis Femina ſtudiis maximis inſtructa. Utriuſque. Graece, & Latinae. *I nunc*

Digitized by Google

nunc livor. Jam de ſuis ſtudiis & carminibus ſecurus ob tantam Patronam, invidiam omnem & malevolentiam contemnit:

EPIGRAMMA XLV.

PRO RECUPERATA VALETUDINE MEDICO GRATIAS AGIT.

Nec te, candide Chie, praeteribo,
Qui rurſum mihi das habere vitam
Arte Paeonia ſalubribuſque
Succis officioque ſingulari.
Ut paſtor rabidi lupi cruento
Agnum deripit ore, ſic voracis
Orci faucibus extrabis miſellum
Tuum Flaminium Deo juvante.
Quare dum mihi vita, quam dediſti,
Suppetet, nihilo minori amore
Te colam, optimus optimum parentem
Quam natus colit, & ſuprema quando
Rurſus venerit hora, quamquam amara
Potem oblivia, non tamen licebit
Tuae non memorem eſſe comitatis.

Chie. Emanuelem ex Chio inſula Chium appellatum ſignificat praeſtantem tum Medicum. *Paeonia*. Medica, nam primi Medici ex Paeonia fuerunt. *Dum vita*. Pro egregio beneficio, egregia pollicetur; dum amorem ſuum, & gratum animum cum omni aeternitate metiendum.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLVI.

RECUPERATAM VALETUDINEM JULIO SAULIO GRATULATUR.

O *Quantum gemui, venuste Juli,*
Cum febris tua membra pasceretur,
Nec finem faceret, diem supremum
Intentans media tibi juventa.
Me tui miserebat & parentis
Carae, qua mulier nec ulla vivit
Nec vivet melior, misella quantos
Angores tulit audiens jacere
Natum depositum. Sed ecce vestram
Dum vicem doleo, dolor sinistrum
Invasit latus, & sticuloſa
Febris incubuit mihi per artus
Furens, ut fera flamma cum vetustam
Silvam corripuit semel, vagatur
Vorans omnia, nec tamen periculum
Sic me perculerat, mei pericli
Quin tui meminissem, acerbus ergo
Me dolor geminatus enecasset,
Ni Deus miserans utrumque letho
Praesenti eripuisset, ille nobis
Donat vivere, nos patri benigno
Vitam & omnia nostra conferemus.

Parentis. Acerbum semper est juvenem morientem immature videre, quod ad senectutem pervenire debuisset; mul-

Digitized by Google

multo acerbius, cum parens optima ejus interitu, omni praesidio ac solatio privatur. *Invasit*. Occupavit ac lecto affixit: quod genus supplicii acerrimum est, amicum non posse adire, nec solari.

EPIGRAMMA XLVII.

CATELLA POSCIT A DOMINO, UT IN RHEDAM ACCIPIATUR.

CUr me, Pole, tua venire ad urbem
Lectica prohibes? tuae quid oro
Summae participem benignitatis
Esse non pateris? canes bonorum
Herorum comites fuere semper
Et caelum canis incolit supremum
Inter sidera, nec polus beata
Sedes caelicolum suam catellam
Dedignatur habere secum: at ipsa
Sum despecta tibi, nec unum apud te
Angulum valeo impetrare. Verum
Si nostram vacet aestimare formam
Non indigna tuo favore credar.
Est pilus mihi lucidus, venustae
Pendent auriculae, nigris ocellis,
Et caudae placeo jubis comatae,
Nec sum corpore vasta, nec figura
Tam brevi, ut videar puellularum
Comes dignior esse quam virorum
Nec turpi scabie laboro, nec sunt

In-

Digitized by Google

Inviſi pulices mihi moleſti.
Nec ſum prorſus inutilis futura,
Si laſſam recreas, vehiſque tecum,
Nam pedes tibi ſuaviter fovebo,
Qui jam frigoribus rigent acutis
Nec vero timeas, luto referta
Quod via aſſidue ambularim: amicus;
Et cliens tuus optimus Morilla
Me ſuis manibus pie ac benigne
Puro flumine ter quaterque lavit,
Et munda dedit eſſe mundiorem
Sponſa, quam bona mater ad maritum
Vult deducere nuptiis paratis.
Quod ſi non ſatis haec videntur eſſe
Ad flectendum animum tuum, catelli,
Ah nimis miſeri mei catelli,
Te precor moveant, tenella pleno
Quos geſtans utero pedes movere
Vix queo amplius, & tamen neceſſe eſt,
Milliaria ſingulis diebus
Multa conficiam miſella ni te
Volo linquere, ſed prius vel iſtis
Optem filiolis meis ſepulchrum
Fiant viſcera matris; ipſa praeda
Optarim prius eſſe vel luporum,
Quam te maxime Pole, derelinquam,

Pole. Reginaldus Polus ex praeclaro Anglorum Regum ſanguine inſignis, purpura, legationibuſque in Concilio Tridentino perfunctis inſignior. *Canes horum*. Ab exemplis quae multum valent in probando rem ſuam agit. *Eſt pilus*. Id quoque inter ſuae ſpeciei decora enumerat. *Non ſunt in-*

Digitized by Google

inviſi. Perfero, ſed omni conatu a me expello. *Vix qua.* Et reliquis pulchriora etiam videntur, quo neceſſario praecedunt utilia. *Fiant*. Lepide ſane & vehementer: nam in amicitia aut ſervitio quid diuturnitate praeſtantius?

EPIGRAMMA XLVIII.

BACCHO VINEAM SUAM COMMENDAT.

Hanc vitem tibi dedico racemis
Gravem purpureis pater Lyaee,
Pro qua tu mihi vineam tuere
Non dico a Satyriſve, capreiſve,
Non a grandinis impetu vel Auſtri,
Sed a Pygmalione Formiano,
Qui ſua horribili voratione
Plus nocere queat duabus boris,
Quam grando, Satyrique, capraeque,
Et venti rabies duobus annis.

Lyaee. Deo vinearum praefidi & vineas maxime amanti aptiſſime videtur vinea commendata. *Satyris*. Silvarum feris. *Pygmalione*. Hoc nomen immanem furem ſignificat, ſed a vero nomine abſtinet ut parcat famae. *Plus*. Hyperbole eſt; tamen ſaepe gravius nocent fures aſſiduitate aliena bona invadendi.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XLIX.

EJUSDEM ARGUMENTI.

Vicini moneo, procul fugate
Istum Pygmaliona vinearum
Diram perniciem, canum frequentes
Adsint excubiae, diem atque noctem
Sagittae & lapides minentur, & cum
Ista haec omnia feceritis, ipse
Vias inveniet tamen vorandi.

Vicini. Ut vinea sua a furibus immunis sit Vicinis eam commendat, eosdemque monet, ut canes, saxa, atque arma prompta sint.

EPIGRAMMA L.

EJUSDEM ARGUMENTI.

Praetor optime, vineas tueri
Ab hoc Pygmalione jam nequimus.
Quo vorat magis, in dies & horas
Augescit magis & magis vorandi
Libido furiosa, nec Charybdis
Hujus viscera quidquid est ubique

Digitized by Google

Uvarum saturare possit; ergo
Regamus miseri coloni, ut ista
Tempestas, barathrumque vinearum
Pellatur procul hinc malas in horas,
Dum vindemia pendet, aut bibemus
Lympham pro mero, & omnium labores
Obscoena ingluvie unius peribunt.

Praetor. Ut furem istum a vinea procul remotum abigat, Praetoris opem implorat, eique mala illata commemorat. *Nec Carybdis.* Nulla vorago tam multa absorbuerit quam iste helluo.

EPIGRAMMA LI.

PRECATIO AD BACCHUM.

TU, qui centimanum potes gigantem
Caelo trudere, Penthenmque Regem
Letho mittis & impium Lycurgum,
Et Gangem superas, & ultimum Indum,
Invictissime Bacche, non furentem
Istum Pygmaliona jam coerces?
Qui fera ingluvie incitatus omnes
Vineas verat, & tuum liquorem,
Qui servandus erat cadis in annos
Plures, mittere ventris in cloacam
Totum pergit, & annos labores
Absumit male panculis diebus;

O

Digitized by Google

O monſtrum horribile! ultimas in oras
Pellendum, aut magis inferos ad imos.

Centimanum. Bacche, qui potuiſti immanes illos Gygantes, qui Jovi bellum intulerant e caelo deiicere e vinea mea furem pelle. Dictus autem eſt centimanus ob immanem corporis vim. *Lycurgum*. Impium eum vocat, quod vites Baccho ſacras intercidi juſſit; ebrietates e Spartano regno ſublaturus. *Gangem*. Bella enim geſſit in India & finitimis regionibus Bacchus.

EPIGRAMMA LII.

CRATIAS AGIT BACCHO OB SERVATAM VINEAM.

Quod noſtras bene vineas Lyaee
Servaſti incolumes, & integellas,
Diro Pygmalione ceterorum
Vireta ingluvie ferae, & nefanda
Vaſtante, hoc tibi ponimus ſacellum,
Quod pro tempore ſit quidem puſillum
Acerna ex trabe, ſed tamen venuſtum eſt.
At ſi ſuſtuleris ferum & tremendum
Hoc monſtrum, populus tibi merenti
Aedem marmoream pater ſacrabit,

Integellas. Non direptas. *Acerna*. Ex trabe, lignis, ceteriſque ornamentis ex acere.

Digitized by Google

EPIGRAMMA LIII.

TURUNDAE COMMENDATIO.

Quum domos humiles Turunda ruris
Ignota incolerem, doloſque turdis
Hic parare ſolerem, amore captus
Mei Bloſius omnium Poeta
Urbaniſſimus ad ſuos Penates
Et palatia celſa Vaticani
Montis ducere ruſticam, rudemque
Haudquaquam erubuit, ſuaeque Muſae
Jocis, & numeris leporibuſque
Condiens, ita amabilem ſaporem
Addidit mihi, ut ire non vererer
Ad menſas hominum elegantiorum.
Quin Farneſius ipſe flos Quiritum
Cenas magnificas ſua Turunda
Ornat quotidie, haec ego ipſa mecum
Non ſemel reputans, ſatis ſuperque
Fortunata mihi videbar eſſe,
Ut quod praeterea Deos rogarem
In mentem hercule nil venire poſſet.
At nunc maximus ille Rex Olympi,
Qui terras tonitru quatit ſonoro,
Miſit alipedem Deum venuſta
Forma, pileolo comas tegentem
Flavas, anguibus implicata virga
Cui geſtamen erat manus decorae,

Ar-

Digitized by Google

Ardebant oculi, & genas rubentes
Pingebat niveus color, novoque
Malas flore juventa vestiebat.
Is me purpureo ore ter quaterque
Tentans corripuit, volansque summum
In caelum ad teneram tulit puellam
Pulchram Juppiter & decentem, aitque
Quam gentes Italae vocant Turundam,
Servato soror, usque dum parata
Jam coena pater accubet, petenti
Tunc dato hanc, etenim Poeta summus,
Cui nomen Blosio est, eam canendo
Tantis laudibus extulit, comesse
Ut ipsam cupiat pater Deorum,
Et quidem meritissimo, sapore
Haec enim ambrosiae mihi videtur
Longe suavior, omnibusque rebus,
Mortales quibus, & quibus beati
Pascuntur Superi. Haec locutus ille
Abit, me nivea puella dextra
In cella bene olente collocavit.
Ubi sunt epulae Deum repostae.
Sic ego auspiciis bonis ab agro
Ad urbem veniens, ab urbe summum
In caelum penetro, cibus supremo
Jovi, & caelitibus futura magnis.

Turunda. Haec offa sive esca faginandis & capiendis vivibus. Sepe usurpata a Blosio Palladio egregio tum Poeta, ideo celebrata fuit suis carminibus, ut ea in omni honesto convivio legeretur, ideo ad regias adducta. *Farnesius*. Alexan-

Digitized by Google

xander Cardinalis Farnesius. *Ornat cenas*. Carmina legit de Turunda. *Alipedem Deum*. Mercurium. *Tentans*: Semel iterum gustans.

EPIGRAMMA LIV.

DE EODEM.

Quam sim caelitibus Turunda grata
Blosi, disce simul, simulque ride
Formosus Veneris puer puerque
Idaeus Jovis inciti minister
Me semper manibus gerunt vorantque,
Seu domi libeat manere, sive
Per caeli varias vias vagentur.
Hos quidem e superis senex, opacam
Qui barbam gerit, intuens ocellis
Obliquis gemuit, dolensque dixit,
Felices pueri, quibus turundam
Per annos licet esse continenter,
Et domi & platea quoque frequenti,
Quod idem ut liceat mihi libenter
Sim trimus puer; at tibi senectus
Sit semper viridis, Poeta magne,
Cujus munere praeferor beatis
A Diis ambrosiaeque nectarique,
Seu quid suavius est, magisve dulce.

Puer Veneris. Cupido. *Puer Jovis*. Ganimedes. *Opacam*. Longam. *Esse*. Comedere.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA LV.

EPITAPHIUM FRANCISCAE SFORTIAE.

Franciſcae tumulo teguntur iſto
Oſſa Sfortiadis viator; illa
Et forma memorabili puella
Et ſancti ſpecimen fuit pudoris,
Digna vivere ad ultimam ſenectam,
Sed mors, optima quaeque prima tollit.
Ipſam Romula gens avuſque Paulus
Tertius lacrimis piis honorant,
At Deum genitor, Deique gaudent
Eſſe concilio ſuo receptam.

Sfortiadis. Clariſſimae gentis nomen & diu Mediolani regnantis.

EPIGRAMMA LVI.

EPITAPHIUM JO: MATTHAEI GIBERTI EPISCOPI VERONENSIS.

Giberti venerator hic ſepulchrum
Quem Ligur genuit Panormi in urbe,
Roma nutriit & diu regendi

Digitized by Google

Orbis participem beata vidit.
Dein Verona recepit, & Magistrum
Sincerae pietatis; & parentem
Mirata est, nihil ille, quod beatam
Posset reddere civitatem, omisit,
Nunc caelo fruitur beatus ipse.

Venerator. Tu qui veneraris sepulchrum Giberti. *Roma nutriit.* Studia omnia Romae absolvit, ingentique cognito ingenio, maximaque prudentia ad principes dignitates Romae electus est. Maxima ad Ecclesiae Catholicae utilitatem officia administravit, & singulari laude confecit.

EPIGRAMMA LVII.

EPITAPHIUM PASTORALE.

Caper capellis ire dux ad pascua
Suetus, quid aegros ultimus trahis pedes?
Tu primus alta montium cacumina,
Cum sol quadrigis aureis portat diem,
Primus reposta vallium cubilia,
Quo fons loquace limpidus lympha vocat,
Primus petebas nocte cum prima domum
Magnis capellas antecedens passibus,
Nunc moestus, aeger, ultimus prodis domo;
Caper misselle num requiris candidam
Hyellam? at illa absente nec thyma dulcia,
Nec umbra dulcis, nec tibi est dulcis liquor?

Ca-

Digitized by Google

Caper miſelle Hyella bella eſt mortua,
Luge miſelle, bella Hyella eſt mortua,
Aliumque valle paſcit Elyſia gregem,
Videtque puro lacte fontes currere.
Auraque longe dulciore veſcitur,
Neque amplius redire, ſi velit, huc queat,
Neque ſi queat, redire jam amplius velit.
At tu morere, dominamque viſe trans Styga,
Aut vive poſthac omnium miſerrimus
Caper miſelle, omnium miſerrime.

Quid ultimus. Quid ultimo loco, & moeſtus, atque aeger incedis. *Quadrigis aureis.* Curru, quem ſtatim lux & dies conſequitur, ideo aureo. *Cubilia.* Receſſus ad alium gregem. Quaſi idem miniſterium etiam mortua exerceat.

EPIGRAMMA LVIII.

EJUSDEM PROPE ARGUMENTI.

Sic tibi perpetuam donet Pomona juventam,
Hortule, dic tanti quae tibi cauſsa mali?
Ille tuus decor in tenues evanuit auras,
Ut riget informi cum fera bruma gelu.
Non roſa formoſum calathi jam pandit honorem,
Non violae ridet purpura lucidulae.
Aruit ille ſuo viridi cum gramine rivus,
Daedala nec dulci voce ſuſurrat apis.
Quaeque decora albis canebat floribus, ipſa

Po-

Digitized by Google

Ponit odoratas citria silva comas.
Ah nivei subito cur nigrescunt hyacinthi?
Atque notis implent flebilibus folia?
Cur vivax apium moritur, croceumque papaver?
Et panace fusis roscida lacrimulis?
Hortule, num leges fatum infelicis Hyellae,
Et piget extinctam vivere post dominam?
Illa quidem fuerat vivens tibi cunsa decoris,
Illa tibi moriens abstulit omne decus.

Pomena. Hortorum Dea. *Non rosa.* Rosa in fasciculos collecta, aut in canistris ad vendendum exposita non explicat honorem suum. *Daedala.* Ingeniosa, accurata. *Notis flebilibus.* Languore & pallore.

EPIGRAMMA LIX.

EJUSDEM ARGUMENTI.

Quisquis es upiliove bonus, bona vel caprimulga,
Siste gregem, & sacro munera fer cineri:
Da violas tumulo, fundat dulcissima vina
Cantharus, & tepido lacte madescat humus.
Deinc lacrimans sic fare, cinis carissime nobis,
Nunc cinis, ast olim candida Hyella vale.

Munera. Gemitus & lacrimas. *Da violas.* In signum candoris, & virtutis. *Fundat vina.* Vina, lac, & similia in sacrificiis adhibebantur.

BEMBI AD TUMULUM SANNAZARII.

Da Sacro Cineri Flores; hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus ut Tumulo.

SE-

Digitized by Google

SELECTA GRAECORUM EPIGRAMMATA.

EPIGRAMMA I.

CUPIDO AB APE PUNCTUS, ET A MATRE CASTIGATUS.

Anacreontis ex interpr. Andr. Dactii Florent.

Actus apes, furax populat dũ mella Cupido,
Praedantis digitos aspera punxit apis.
Indoluit, perflansque manũ tellure repulsa
Matris Acidaliae constitit ante pedes.
Quantula, Mater, ait lacrimis gemebundus obortis,
Est fera! quanta mihi vulnera fecit apis!
Cui Venus arridens: apibusne similimus ipsis
Detrabis! en quantus vulnera quanta facis.

Punxit. Pupugi est legitimum. *Perflans manum.* Flatu & confricatione abjiciens e manu terram, quam vulneri ad-

Digitized by Google

admoverat ad leniendum, ac tollendum dolorem. *Vulnera quanta*. Tu puellus Deos, & homines feris universos.

EPIGRAMMA II.

EX LACRIMIS NON LEVARI DOLOREM.

Philemonis ex interpr. Andr. Naugerii.

Si quid remedii lacrimae afferrent malis,
Minorque semper fieret lugenti dolor,
Auro parandae lacrimae nobis forent:
Sed nil, here, istaec prosunt; res ipsae nihil
Movemur istis; sive semper fleas,
Seu numquam, eamdem pergere insistent viam.
Quid his juvamur ergo? nil certe: at dolor,
Ut ipsa fructus arbor, sic lacrimas habet.

Remedii. Solatii ad levandum dolorem. *Here*. Tu qui legis. *Eamdem viam*. Aeque te cruciabunt. *Res ipsae*. Res calamitatum causae. *Ut arbor*. Ut omnes arbores suos fructus afferunt, sic omnes calamitates lacrimas eliciunt, nisi ex animi magnitudine impediantur ac temperentur.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA III.

VENUS MUSAS CALLIDE INVITAT, CALLIDIUS AB IIS REIICITUR.

Platonis ex interpr. Averan. Dissert. 55. in Anthol.

ME colite, Aonides, dixit Cytherea, puellae:
Aut in vos acuet spicula saevus amor.
At Veneri Musae, jactabis talia Marti:
Nobis non alas iste puellus habet.

Marti. Cum quo olim deprehensa es. *Nobis*. Oppugnandis, aut molliendis: studia enim ea audientem a pestiferis cupiditatibus aut vindicant aut moderantur.

EPIGRAMMA IV.

VETERIS CONDITIONIS OBLIVISCI FELICES.

Agathiae Scholast. ex lib. 1. Anthol. Interp. Aver. Disser. 78. in Anthol.

CUm quis inops est nactus opes fasceque superbos;
Nec meminit sortis qua prius usus erat:
Quos coluit nuper stultus fastidit amicos,
Nec didicit ludos, lubrica Diva, tuos.

Cum

Digitized by Google

Cum nactus opes. Cum miseri, ac praesertim infimi homines ad ingentes divitias evecti sunt. *Lubrica Diva*. Fortuna facile mutabilis.

EPIGRAMMA V.

PRO TAURO MACTANDO SUPPLICATIO.

Incerti ex l. 2. Anthol. interpr. Averan. Diff. 22. in Anthol.

ECce tuam taurus supplex miserandus ad aram
Mugitu vitam, Juppiter alte, rogat.
Tu sed aratorem dimitte, per aequora caram
Cum veheres Nymphan, tu quoque taurus eras.

Aratorem. Bovem aratorem ob toleratos labores singulari miseratione dignum. *Tu quoque*. Cum veheres Nympham Europam.

EPIGRAMMA VI.

HERCULIS, ET ANTACI PUGNA.

Diotimi in Anthol. lib. 1. ex interpr. Politiani.

INcaluere animis dura certare palestra
Neptuni quondam Filius atque Jovis.
Nec certamen erant operoso ex aere lebetes,
At quod vel vitam, vel ferat interitum.

Oc-

Digitized by Google

Occidit Antaeus: Jove natum vincere par est
Estque magistra pales Graecia non Lybia.

Certare. Graeca est locutio pro ut certarent. *Lebetes.* Tripodes & coronae victoribus dari solitae. *Pales.* Luctae; est enim *pales* casus genitivus Graecorum ritu, ac terminatione.

EPIGRAMMA VII.

DE NAUTARUM AUDACIA.

Antiphil. in Anthol. ex interpr. Averan. differt. 76.

Nautarum ductrix audacia, namque per altum
His dum lucra petunt, te duce, facta via est,
Qualem struxisti molem, vel quale tulisti
Damnosum arguitur morte quod esse lucrum.
Aurea gens hominum fuit illa a littore longe,
Quae pontum ut stygias aspiciebat aquas.

Ductrix audacia. Primos nautas audacia, non utilitas navigationis induxit. *Quidem.* Ordo, & sensus est: intelligitur quam artem pernicioſam, & quam pernicioſum lucrum inveniſti, quod arguitur ex morte esse lucrum damnosum.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA VIII.

DIOGENES CYNICUS CHARONTEM ALLOQUITUR.

Antipatri ex lib. 3. Anthol. interpr. Averan. difs. 82. in Antholog.

QUi lacrimis gaudes cunctorum portitor Orci
Traiicis, & triſtes has Acherontis aquas;
Cimba tibi quamvis umbris conferta laboret,
Ne me Diogenem quaeſo relinque canem.
Lecytus & baculus mecum pretiumque vehendi
Eſt cum pera obulus, palliolumque duplex.
Haec habui vivens, haec porto mortuus idem,
Sub Sole ex rebus nulla relicta meis.

Canem. Cynicus, ideſt caninus dictus eſt Diogenes, & quisquis mordacitate vitia hominum traducit; quod laudi ille ſibi vertebat. *Palliolum duplex*. Breve, ac lacerum ad contemtum rerum humanarum, quod Diogenes primus uſurpavit, ut auctor eſt Laertius lib. 6. in ejus vita.

EPIGRAMMA IX.

PAUPERUM, AC DIVITUM MORS.

Palladae lib. 2. Anthol. ex interpr. Jo. Sleidani.

PArcunt fata viro, quem rerum preſſit egeſtas,
Numquam vixit enim, qui modo vixit inops.

At

Digitized by Google

t quibus est res ampla Domi, fortunaque Mater;
Abstrahit hos opibus Parca severa suis.

Nusquam vixit. Ex Epicureorum doctrina dictum, quis vivere est deliciis, & voluptatibus frui. *Fortuna ma-*. Iis Fortuna dicitur mater, quibus divitias, atque hores largitur, aliis vero Noverca.

EPIGRAMMA X.

DE AGRO EX ALIO AD ALIUM VENIENTE.

Luciani ex l. 2. Anthol. Interpr. Moro.

NUper Achemenidae fueram, nunc ecce Menippi
Adque alium rursus deveniam ex aliis;
Me proprium nunc iste putat, proprium ille putavit;
Ast ego nullius sum nisi sortis ager.

Sortis. Fortunae agrum nunc huic, nunc illi, nemini erpetuo jure largientis.

EPIGRAMMA XI.

INVENIENTIS, AMITTENTISQUE THESAURUM CASUS.

Stabilii Flacci lib. 1. Anthol. ex interpr. Ausonii.

QUi laqueum collo nectebat repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.

Digitized by Google

At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit, laqueum.

Nectebat. Summa inopia, & desperatione adactus. *Aptavit*. Avarus enim potius vita quam divitiis careat.

EPIGRAMMA XII.

VERI AMICI INGENIUM.

Incerti lib. 2. Antholog. interpr. Jo. Sleidano.

ILle ego qui fidum novi, coluique sodalem,
Ne qua commaculer parte, repello malos.
In speciem nulli palpor, sed quisquis amatur
Vel semel ad cineres hic mihi amicus erit.

Ne commaculer. Ne peccem amici caussa: hinc illud praeclarum, *amicus usque ad aras*, hoc est, dum violanda jura non sint. *In speciem*. Ficto animo.

EPIGRAMMA XIII.

IN AMICUM SIMULATUM.

Lucillii l. 2. Anthol. ex interpr. Jo. Sleidani.

OFficio mecum certes, ac desine fraudes
Nectere, si vere sum tibi amicus ego;

Per-

Digitized by Google

Pernicioſus enim quiſquis ſimulabit amorem,
Et minus ille nocet, qui nocet uſque palam:
Quique latent pelago ſcopuli plus navibus obſunt,
Quam quos extantes navita cernit aquis.

Minus nocet. Immo nihil plerumque; aut enim omnino propulſamus, aut certe cavemus hoſtem manifeſtum.

EPIGRAMMA XIV.

SPARTANAE MULIERIS IN FUGIENTEM E PRAELIO FILIUM OBJURGATIO

Incerti lib. 1. Anthol. ex interpr. Aver. Diſs. 51. in Anthol.

Vidit ut abjecta fugientem praelia parma
In patriam natum ferre Lacaena pedem;
Irruit adverſa, atque haſtam ſub pectore condit,
Et ſuper extincto talia dicta dedit:
Degener i manes, & iriſia tartara, matrem
Mentitus quoniam es, cum patriaque genus.

Lacaena. Spartani adeo belli gloria praeſtiterunt, ut iisdem animis implerentur etiam feminae: hinc illud Spartanarum Mattum in bellum filios dimittentium, *aut ſuper hoc* ſcutum accumbe, *aut cum hoc* victor redi.

Digitized by Google

EPIGRAMMA XV.

DE GRAECORUM CERTAMINIBUS.

Archiae, pro quo Oratio Cic.

Quattuor instituit certamina Graecia, quorum
Sunt duo sacra homini, sunt duo sacra Deo.
Jupiter, Archemorus, Phoebus, Melicerta coluntur:
Sunt apium, malum, pinus, oliva, decus.

Quattuor. Olympicos ludos Jovi, Pythies Phoebo, Nemaeos Archemoro, Isthmiacos Palemoni, qui & Melicerta dictus. *Apium*. Humiles plane res, sed maximo in pretio a Graecis habitae ob virtutis indicium.

EPIGRAMMA XVI.

IN LUSCAM MATREM, AC LUSCUM FILIUM PLAUSUS.

Hieronymi Amalthei ex Grae.

Lumine Acon dextro, capta est Leonilla sinistro,
Et potis est forma vincere uterque Deos.
Blande puer, lumen quod habes concede parenti;
Sic tu caecus Amor, sic erit illa Venus.

Potis. Aptus, idoneus. *Venus*. Ob pulchritudinem tam cumulatam.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA XVII.

CAECUS, ET CLAUDUS SIBI INVICEM OPEM PRAESTANT.

INsidens caeco graditur pede claudus utroque,
Quo caret alteruter sumit ab alterutro.
caecus namque pedes claudo, gressumque ministrat,
Et claudus caeco lumina pro pedibus.

Insidens. Subsistentatus. *Alteruter*. Pro alter sive unus. *ministrat*. Auxilio est ad incedendum.

EPIGRAMMA XVIII.

ARIAM MIRAE VELOCITATIS CURSOREM LAUDAT.

Antipat. ex interpr. Aver. diss. 10. in Anthолog.

NOn stadii cursorem Ariam Danacius Heros
Arguerit, Cilicum nobile, Tarse, decus;
Praecipiti sic ille volat pede, ut ipsa volantem
Non Persei valeat penna praeire virum;
Nam vel carceribus juvenem spectator in ipsis,
Vel videt ad metam; non videt in stadio.

Danacius. Perseus Danae filius ad cursum citissimus, in omnique facto magnificus cursui, omnique actioni ministrum

strum non recusaret. *Tarse*. Ciliciae caput a Perseo. *Pa-na*. Equo Pegaseo, quo usus est Perseus.

EPIGRAMMA XIX.

JUVENI PRIMUM BARBAM TONDENTI PLAUDIT.

Apollonid. ex interpr. Aver. diss. 42. in Anthol.

HAc tu luce genis formosae deme juventae
Primitias dulces, & juvenile decus.
At Pater hoc multos tibi qui florebis in annos
Excipiet laeta Lucius ipse manu;
Aurea dona dabunt; elegos ego nobile munus,
Pierides vincunt aurea dona Deae.

Hac luce. Graeci ac Romani cum diem, quo primum barbam & comam tondebant, religione atque hilaritate celebrabant; quod barbae primitias alicui Deo vovebant. *Laeta manu*. Multis numeribus. *Dabunt*. Amici. *Ego elegos*. Cum alii dent aurum, in quo Crines tonsi includuntur, ego carmina, quae immortalitatem afferunt laudatis, & faciam ut elegi nunc laeti sint, cum alioquin flebiles.

EPIGRAMMA XX.

PATRIAE SUAE VIRTUTEM LAUDAT SPARTANUS.

Incerti ex Interpr. Aver. diss. 49.

NOn ego Messanae luctator, & editus Argis;
Sparta mihi Patria est laude superba virum.

Ar-

te illi vincunt, ego vi; Lacedaemone natos
Sic virtute decet, non superare dolo.

Messanae. Non ex Sicilia, aut Messeniis, aut ex Argo vis sum, qui dolo, fraude, & astutia ad omnia contennt; sed sum Lacedemon, qui sola virtute, & animi nstantia excellunt. *Illi*. Ceteri Graeci. *Ego vi*. Virtute, animi magnitudine.

EPIGRAMMA XXI.

REM ROMANAM NULLIS ADVERSIS REBUS OPPUGNANTIBUS POCULIS LABEFACTANDAM.

Timag. ex interpr. Aver. dis. 85. in Anthol.

SI totum spatiosa bibat Germania Rhenum,
Oceanusque omnes invehat altus aquas,
Caesaris intrepidi dum vis invicta manebit,
Nil robur laedet, Roma superba, tuum;
Sacra Jovi quercus sic stat radicibus imis,
At folia excutiunt arida facta noti.

Si bibat. Si occupet totum terrarum spatium, quod a Rheno ad Tibrim jacet, tantis viribus Romam non everet. *Invehat*. Quamquam maritimas vires terrestribus conungat. *Caesar*. Dum maximus Princeps maximo populo mperabit, imperium immotum erit. Romani tamen Germaos etiam timuerunt, quod etiam profligati fortiores bella nstaurarent.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google